



Specimen historico-theologicum Georgii Cassandri vitae atque operum narrationem exhibens

<https://hdl.handle.net/1874/301655>

6

SPECIMUM HISTORICO-THEOLOGICUM

GEORGII CASSANDRI

VITAE ATQUE OPERUM NARRATIONEM EXHIBENS.

GEORGI CASANDRI

THE GREAT WORKS OF CASANDRI

920
6
SPECIMEN HISTORICO-THEOLOGICUM

GEORGII CASSANDRI

VITAE ATQUE OPERUM NARRATIONEM EXHIBENS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MED., CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

in Academia Rheno-trajectina,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JACOBUS MARANGE ASSINK CALKOEN,

e pago Sloterdijk.

A. D. XXV M. FEBRUARII ANNI MDCCCLIX, HORA I.

AMSTELODAMI,

APUD H. W. MOOIJ.

MDCCCLIX.

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

GEORGI CASPARII

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

1848

ANNO DOMINI MDCCLXXXVIII

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

1848

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

1848

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

1848

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

JACOBUS WALTERUS ASSINE BALKON

1848

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

INSTITUTION HISTORICO-ETHNOLOGICA

TYPIS F. HEUKELOM DF.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

PARENTAGE OF THE ...

MURRAY

...

PRAEFATIO.

Quum, ad summos in Theologiâ honores capessendos, dissertatio quaedam mihi conscribenda esset, Georgius Cassander, ob singularem, quem inter viros doctos saeculo XVI florentes locum occupavit, dignus videbatur, cujus vita ac merita uberius exponerentur. Jam vero per quoddam temqus operâ collocatâ in omnibus iis colligendis, quae in elaborando specimine meo magno usui fore putabam, ecce, in manus incidit libellus de eodem argumento, qui inseribitur: Enarratur Georgii Cassandri, viri propter singularem, quem inter Theologos saeculi XVI tenuit locum, celebratissimi vita et Theologia. Commentatio... praemio regio ornata. Scripsit A. C. TH. FRIEDRICH Liebenauensis. Gottinae 1855. Quam commentationem, quum ubivis fere accuratae disquisitionis et magnae eruditionis indicia monstret, si prius inspicere mihi contigisset, aliam sine dubio elegissem materiam elaborandam; praesertim quum brevi post venerandus DOUWES in opere periodico *Waarheid in Liefde*, 1858. II de eodem Cassandro scripserit; cujus tamen scriptum, ut ipse fatetur, magnam partem Friedrichii libri brevis est expositio ¹⁾. Tempore autem instante, nihil mihi reliquum fuit, nisi ut eâdem, quam ingressus eram, viâ proce-

¹⁾ Over Georg Cassander en zijne Godgeleerdheid. Eene bijdrage tot waardering van het Evangelisch Catholicisme.

derem, hoc tamen omnibus viribus contendens, ut quam maximam opusculo meo impenderem diligentiam. Quod si lectori benevolo hiece libellus non prorsus Cassandro indignus videbitur, id praeter alios iis etiam viris acceptum mihi referendum est, qui, aut libros rarissimos mihi impertiendo aut quovis alio modo, inceptis meis favere non recusaverint; quorum omnium neminem lubentius hic commemoro, quam venerandum H. Q. JANSSEN, ejus notâ humanitate frui pergratum mihi fuit.

Quibus praemonitis non possum, quin vos omnes, qui in studiorum stadio duces mihi et praeceptores fuistis, grato hie animo alloquar. Si quam classicorum q. d. scriptorum atque totius Graecae et Romanae antiquitatis notitiam mihi comparaverim, Tibi debeo, doctissime P. ΕΡΚΕΜΑ! Quin etiam ingenue fateor, Tuam interpretandi rationem, Grammaticae semper regulis innixam, postea magnae mihi utilitati fuisse in Sacris Scriptoribus explicandis. Concedat Tibi D. O. M. ut, corporis viribus restitutus, persequi possis munus utilissimum, quod tam diu tantoque cum honore administravisti.

Vos etiam, Viri Clarissimi! quorum scholis de disciplinis physicis, philosophis et de literis humanioribus interfui, grato animo recordor. Egregiam vestram omnium institutionem nunquam satis a me laudari posse sentio; nec unquam obliviscar, quae mihi semper benevolentiae signa dederitis.

Quî vero de vobis tacere possem, Viri clarissimi et plurimum venerandi, S. Theologiae in urbe Amstelædanensi Professores! quorum singulorum scholas, studia, institutionem tanti habeo, ut Vestrum me discipulum fuisse in praecipuis semper Providentiae beneficiis

positurus sim. Vobis omnibus plura debeo, quam hic exponere fas est.

Verum ut totâ menta jam de Te cogitem, jubet animus, Clarissime et dilectissime MOLL! cujus utrum scientiae atque religionis amor an privatae consuetudinis comitas atque humanitas prius laudanda sit, omnes Tui dubitant discipuli. Summas Tibi gratias ago, ob multa, quae mihi dedisti benevolentiae signa, nec non ob auxilium tanti aestimandum, quo, uti in reliquis meis studiis, ita praesertim in hoc specimine conscribendo mihi adjuisti. Ab eo inde tempore, quo in discipulorum Tuorum numerum referri mihi contigit, Te semper usus sum praeceptore non tantum, sed et paterno fere amico; quod quantam vim habuerit in notitiam meam amplificandam et vitam e Christi mente instituendam, equidem dicere nequeo. In posterum etiam, Vir dilectissime, mihi adsis consilio Tuo, quo ne ingratum sis prosecuturus, omnibus ego animi ingenique viribus contendam. D. O. M. te servet incolumem, atque omnibus Tuis, tam pro discipulis quam pro ecclesia Christi, conatibus in dies magis benedicat!

Tuae etiam, Clarissime TER HAAR, Promotor aestu-
matissime! erga me humanitatis nunquam immemor
ero. Quod non tantum specimen meum inspexisti, sed
et legisti et judicio Tuo instruxisti, est, quod Tibi
plurimas gratias agam.

Vobis, carissimi Parentes! huncce juvenilem laborem
offerre, mihi gratissimum est. Quot quantaque vobis
debeo, qui et animum puerilem ad bonum honestumque
semper incitaveritis et facultatem mihi praebueritis
studiis theologicis operam dandi. O utinam vobis ne
indignus reperias filius! Dei optimi Patris tutelae

vos commendo. Ne desint vobis, in morbi doloribus aut aliis vitae calamitatibus, ejusdem Evangelii consolationes, quod, cum multorum fructu, tam diu, mi Pater, annuntiasti!

Vos denique, Commilitones amicissimi! sive jam Academicum stadium percurristis, seu mecum adhuc in campo versamini, vos omnes valete! Deo gratias ago, quod vestrâ consuetudine et amicitia frui mihi contigit. Sitis incolumes, o boni! Sitis beati, nec mei immemores!

INTROITUS.

Ecclesiae Reformationi saeculi XVI idem accidit, quod omnibus iis rebus solet, quibus ecclesiae aut civitatis facies prorsus mutetur, nimirum ut vix aut ne vix quidem iudicium integrum, ab omni partium studio liberum, de illa ferri possit. Qui enim semel ex animi persuasione Protestantismi placita amplexus est, is, ut par est, summis Reformationem laudibus effert, et gravissimos utilissimosque effectus ei tribuit. Naturali veluti impulsu eam confert cum Christianae religionis ortu, quo quemadmodum olim, mediis ignorantiae atque improbitatis tenebris, lux splendidissima effulserit, ita etiam Lutherum ejusque socios nihil aliud et optima quidem ratione fecisse arbitratur, nisi ut eadem illa lux, quae tam diu sub modio occulta fuisset, radios novo cum splendore effunderet. Reformationis praecones atque omnes, qui Protestantismi causam defendendam aut promovendam susceperant, ex animo venerantur; sed simul non raro evenire solet, ut, evangelici praecepti oblitus, justo severius de aliter sentientibus judicet, apud quos errores tantum, partium studium vel pravam voluntatem deprehendere sibi videatur, apud illos vero summum neque ullis limitibus circumscriptum erga Dominum amorem atque ecclesiae salutis curam.

Nec tamen illa de Reformatione judicandi ratio omnibus placet. Nam ut taceam de ecclesiae Catholicae opinione, magnam illam rem, de qua hic agitur, nihil aliud fuisse nisi opus pene diabolicum, pravo consilio inchoatum et politica orbis conditione adjutum, sed quot reperiuntur in utroque majore Christianae societatis coetu, qui vario plane modo de hac re judicent; qui fateantur quidem, Reformationem multum boni et sani protulisse, sed simul fautoribus ejus defuisse prudentem illam moderationem, quae pedetentim progredi neque omnia evertere jubeat! Ab utraque parte peccatum putant; utri autem magis peccaverint, dubitant. Carent utique omni animi elatione, placidi sunt ac modesti judicii; verum tantum abest, ut aegre id ferant, ut ita potius praejudicatis opinionibus prorsus sese liberos esse existiment. Dolent, inter fratres ortam esse dissensionem, atque unice eo tendunt, ut pacem et concordiam inter illos restituant. Jam vero minime est mirandum, quo certius utrisque inter se certantibus persuasum sit de opinionum suarum veritate, eo constantius eos firmiterque in sententia perseverare, neque aut recedere aut progredi velle. *Moderatorum* igitur illorum (si ita eos vocare licet), in medio sese continentium ratio nefanda iis et desperanda videtur. Nec mirum; nam hunc illumve Christianorum coetum cum ipsa religione Christiana; suas ipsorum opiniones cum veritate summa, absoluta confundunt.

Inter viros, media illa ac moderata de Reformationis causa sentiendi ratione imbutos, primas vulgo tenuisse partes censetur Desiderius noster Erasmus. Idque recte quidem; quatenus ab altera parte abusus et vitia sensim sensimque in ecclesiae sinu exorta, plane perspexerat; ab altera vero Lutheri atque ipsius sociorum audaciâ

abhorrebat. Tum etiam ex Cassandri vita nobis apparebit, magnam fuisse Erasmi vim et efficaciam ad illius viri docti sententias religiosas conformandas et corroborandas. At tamen cunctis Cassandri animi ingenique dotibus bene perspectis, valde dubitandum videtur, num ille in Erasmianorum numerum jure referatur. Potuit enim ex Erasmi voto et sententia agere, etiamsi nullam unquam curam adhibuisset in Protestantibus et Catholicis inter se reconciliandis. Quum vero omnes ejus preces atque actiones, in postrema saltem vitae periodo, eo spectarent, ut diu desiderata pax tandem aliquando adesset; quum huic officio omnes corporis animique vires devoveret, propria quiete et commodo neglectis, artuum dolore vehementer saepe cruciatus, longum abest ut theologi *Erasmiani* nomen Cassandro saepius impertitum, totum ejus ingenium ab omni parte conspiciendum praebet. Quod si, ut recte de Cassandro judicare possimus, ejusdem cum aliis comparatio instituenda est, animum attendamus oportet ad similitudinem et consensionem, quae illum inter et Philippum Melanthonem intercedebat. Hic enim theologus, Christi atque ecclesiae amore flagrans et pacis studiis ante omnia deditus, eo magis Erasmo anteponendus videtur, quo meliorem semper et puriorem animi sensum prodidit; neque enim, ut ille, pacis atque melioris ecclesiae conditionis adversarios risui exponere solebat, sed vehementer dolebat, quod piis suis conatibus tam pertinaciter saepe obsisteretur. Participem eum fuisse eorum, quae in comitiis Augustanis, anno 1530, de rebus ad religionem pertinentibus acta sint, quum plurimum sane concedere vellet, dum modo sic optatus exspectari posset eventus, nemo est, qui nesciat; sed aequae cognitum est, quam gratiam ei retulerint viri

nonnulli Protestantes, qui illud maxime omnium moleste ferebant, quod potestatem episcopalem ecclesiae utilissimam esse agnovisset; quam tamen sententiam tunc temporis etiam Luthero acceptam fuisse, satis notum est ¹⁾). Jam undique eduntur querelae: Melanthonem vocant „puero pueriliorem,” „Evangelii proditorem;” quin imo Philippus, Hassiae Landgravius, delegatis suis, Augustae Vindeliarum commorantibus, de illius agendi ratione iram et indignationem manifestat ²⁾). Ipse autem Melanthon, omnibus iis accusationibus non deterritus, semper eadem via incedere, nec nisi officii ratione agere studuit. Historia ab illo tempore, quo Protestantium religio juxta Catholicorum, locum suum occupavit, quum non interruptam nobis quasi catenam proponat conventuum atque colloquiorum, ad contendentes partes reconciliandas institutorum, Melanthon fere semper illorum particeps erat. Quid, quod praeclara ejus eruditio et animus pacis studiosus exteros etiam principes incitabant, ut ejus auxilium implorarent? Etiam si igitur Erasmus, sententiis suis per-vulgatis, reconciliationis spem ac desiderium movere posset, nemo tamen Melanthonem aptior erat, qui talibus expectationibus responderet ³⁾). Scholasticorum enim subtiles et vanas quaestiones contemnebat, et jure testatus est, se „non aliam ob causam unquam *ἰσχυρολογεῖναι*, nisi ut vitam emendaret.” Quod si quae-

¹⁾ Vid. C. G. Neudecker, *Die Hauptversuche zur Pacification der evangelisch-protestantischen Kirche Deutschlands*, etc. Lipsiae 1846, p. 59.

²⁾ Neudecker l.l. — Gieseler, *Lehrb. der neueren Kirchengesch.* I. 1 p. 261 sqq.

³⁾ Vid. C. W. Hering, *Gesch. d. kirch. Unionsversuche seit der Reformation*. Lipsiae, 1836, 38. Vol. I. p. 105 sqq.

ratur, quodnam de sui temporis dissensionibus iudicium ferret, quaeque optima ei viderentur ecclesiae laceratae remedia, legantur, quae scripsit ad Philippum illum Hassiae Landgravium, mense Septembri a^o. 1526:

„Videtur item utile prohibere dissensiones in concionibus Rixantur autem non tantum Papistae, sed et adversarii Papistarum saepe multo vehementius quam alteri. Nunquam etiam lis est de lana caprina. Eas dissensiones, quantum fieri potest, studeat V. Cels. per praefectos cohiberi ita, ut qui sanior videatur, solus doceat: alter taceat prorsus, juxta Pauli regulam. Doceat autem non fidem tantum, sed timorem quoque Dei, *cujus jam paene nulla in concionibus mentio fit*, ac caritatem; et inter praecepta caritatis summum et gravissimum obedientiam erga magistratus. Postremo rogo Cels. V. ut, quantum pie fieri potest, pacis publicae causa veteres ceremonias conservet. Nunquam ritus ac mores sine magnis scandalis mutantur. Et Christianismus minime in ritibus situs est, sed in timore Dei, fide, caritate et obedientia erga magistratus; *quae utinam jam sedulo docerent concionatores, quam strenue vociferantur in Papam.*” Alio loco queritur de illorum „amentia,” „qui putent, unum hoc esse docere Evangelium, summa contentione atque amarulentia debacchari velut e plaustis, adversus eos, qui a nobis dissentiant. Neque ignoro,” sic pergit, „quantum odii apud quosdam conciliarit mihi haec mea diligentia; sed mihi magis spectandum, quid Deo placeret, quam quomodo sycophantas illos mihi placarem, a quibus nunc ut haereticus, ut fanaticus, traducor” ¹⁾. Quidquid igitur verum est in assertione saepius repetita: Refor-

¹⁾ Gieseler, LL. p. L. 2 p. 189 seqq.

mationem per Melanthonem atque ejusdem mentis viros nunquam constitutam fore, eodem jure asseverandum videtur, Reformationem saepe ab ingenita sibi indole degeneraturam fuisse, nisi Lutheris magnis et constantibus, sed interdum pervicaciter sese gerentibus, mites atque modesti Melantheses adfuissent.

Neque hic alios viros silentio transire licet, qui eadem illa ecclesiae Evangelicae, nuper exortae, periodo mediam viam ingredi conabantur. Prae omnibus autem memorandus videtur vir ille doctus, Argentoracensis Theologus Martinus Bucerus, cujus nomen tam arte cohaeret cum litibus de Sacra Coena, inter Lutherum et Zuinglium et utriusque socios agitat. Quam prudenter ad has lites componendas talibus semper vocibus uteretur, quas neutris partibus offensioni fore speraret (quem conatum plures Protestantium libri symbolici abunde testantur); *) ita ut tandem res eo deducta sit, ut Luthero, multis ei concessis, quibus Bucerus dissimulantiae culpam committeret, non amplius necesse esset, diutius cum theologis Helveticis disceptare, — id quidem uberius exponere hujus loci non est. Hic vero notandum est, in omnibus majoris momenti ecclesiasticis negotiis, Bucerum, una saepe cum Melantheone aliisque viris pacis studiosis, consultum fuisse. Quo melius autem illius sententiae cognoscantur, omnino inspiciendus est liber, anno 1542 ab eo editus, „de vera ecclesiarum in doctrina, ceremoniis et disciplina reconciliatione et compositione,” quo libro totam Catholicorum cum Lutheranis sive Protestantibus ortam dissensionem, haud ita tollendam censet, ut cum ipsa Romana Curia pax constituatur; sed ita, ut ii, quibus ecclesiae salus cordi

*) Nimirum: Confessio Tetrapolitana, — Conf. Helvetica prior, cet.

sit, utrinque conveniant, et Sacra Scriptura atque veterum patrum ecclesiasticorum scriptis strenue pervestigatis, sese invicem audiant atque in doctrina veritatis erudiant¹⁾. Hisce perpensis non est quod miremur, quod viri Catholici, etiam non pauci, magno eum aestimarent, et multis de rebus cum eo plane consentirent, quod de Cassandro sane, ut postea nobis apparebit, pro certo affirmari potest²⁾. Quin imo in ipso ecclesiae Catholicae sinu multi erant viri pietate et doctrina insignes, qui, modo cum Protestantibus pax tandem recuperaretur, multa iis concedere vellent; quorum numero, ne plures commemorem, prae ceteris laudari merentur Caspar Contarini, Pontificis ille legatus, qui in colloquio, 14 Jan. 1542 Wormatiae habito, in multis ad Protestantium doctrinam prope accessit, et Ratisbonensi Consultatione dogmati de justificatione ex fide se assentiri testatus est³⁾; Julius Pflugius, episcopus Naumburgensis, qui multis colloquiis conventibusque pacis reconciliandae causa institutis interfuit, nec tamen Ecclesiae unitati nisi propter unitatem Germaniae operam dedisse videtur⁴⁾; Johannes Gropperus, qui τὸ Interim Ratisbonense composuit, secundum Melanthonis quidem relationem, cui etiam si non plane fides habenda sit, summo tamen jure ad illius scripti com-

¹⁾ Cf. Hering l. l. I. p. 5 seqq.

²⁾ Hoc loco memorare tantum sufficiat, Cassandrum in Defensione libelli: *de officio pii viri*, etc. passim ad Buceri sententias provocare.

³⁾ Hujus aliorumque virorum, qui Reformationis aetate vixerunt, theologiam exposuit Hugo Laemmer in opere *Die Vortridentinisch-katholische Theologie des Reformations-Zeitalters*. Berol. 1858. — Vid. in primis p. 186—197, ubi, quid Contarenus de *Justificatione* senserit, narratur.

⁴⁾ De eo vid. Alb. Jansen, *de Julio Pflugio ejusque sociis*, etc., *Bivalini*, 1858.

positionem, Gropperus multum contulisse dicitur ¹⁾. Quid multa? Per totam illam Reformationis aetatem non tantum partes Protestantium et Catholicorum, ut ita dicam, *extremae*, sed mediae etiam, de quibus hîc agitur, rebus publicis agendis interfuerunt ²⁾. Novimus autem, illorum virorum pacis studiosorum conatus non id efficere potuisse, ut revera Ecclesiae pax et concordia restituerentur; sed partim Imperatoris incertam ac dubiam agendi rationem, politicis tantum causis ducti, partim Pontificiorum rigida postulata, partim etiam multorum Protestantium pervicaciam omnes melioris conditionis exspectationes irritas fecisse. Postremo tamen, die 26 Sept. 1555, pax Religionis Augustae composita est, ex multarum Protestantium religioni fansatarum rerum concursu; sed ejusdem pacis articulis novarum dissensionum semina inerant. Tantum igitur abest, ut ecclesiae unitatis promovendae non amplius tunc causae adessent, ut post illud etiam tempus Ecclesiam distractam et dilaceratam videamus, et multi quidem principes talium virorum auxilio uterentur, quibus miserimae isti civitatis conditioni finem imponi posse sperarent. Ita etiam fecit Ferdinandus Imperator, a quo cum aliis Cassander invitatus, sententias suas irenicas in medium protulit. Hujus igitur vita et scripta digna mihi visa sunt, quae seorsum tractarentur, hac quidem ratione, ut prius Cassandri erga artes disciplinasque merita, deinde (quae est major disquisitionis pars), studia ejus irenico-practica exponantur.

¹⁾ Postea tamen magis magisque ab Evangelicis defecit. Vid. Leopold Ranke, *Deutsche Gesch. im Zeitalter der Reform.* 3ae edit. IV. p. 262. seqq.

²⁾ Quod ulterius exposuit Jansen, o. l. p. 22—38.

GEORGII CASSANDRI VITA.

PERIODUS PRIOR,

Quae agit de Georgii Cassandri in litteras et disciplinas meritis. (1531—1549).

PARS PRIOR,

Quae est praeparatoria. (1531—1541).

Georgius Cassander natus est die 24 Aug. 1513, in pago Pitthem, qui, etiamnunc florens, et in Flandria Occidentali situs, non tam longe a Brugis distat ^r). Pater Johannes Cassander inde a filii morte,

^r) Cassander ubi natus fuerit hucusque dubitaverunt historici. Multi eum Brugis primam adspexisse lucem scripserunt, hoc moti fortasse, quod in Catalogo librorum prohibitorum dicitur «Cassander Brugen-sis;» qua de re tamen ipse «neque enim» ait, «Georgius ipse Cassander unquam se *Brugensem* inscripsit» (*Opp. Cassandri, Paris. apud Abrahamum Pacard, 1616, p. 1191*). Hinc jure effici posse videtur, Cassandrum Brugis certe natum non fuisse. Alio loco de Flandria loquitur, tanquam de *patria* (*Epist. 36. Opp. p. 1130*), et Jodocum Tiletanum, doctorem Lovaniensem, dicit *conterraneum* suum (*Epist. 14 p. 1097*). Alii et posteriores quidem historici, in quibus Friedrich (o. l. p. 6) et Douwes (l. l. p. 211) etiam referendi sunt, locum ejus natalem habent insulam *Cadzandiam* sive *Cassandiam*, proxime ab urbe Brugis sitam (*Vid. van der Aa, Aardrijkskundig Woordenboek der Nederlanden, voce Kadzand, VI, p. 211 seqq.*); unde simul nomen cum Cassandri traxisse putant. Nec meliore quidem quam illi jure. Mihi vero, certius de Cassandri loco natali testimonium indagare con-

ab ipsius amico Cornelio Gualterio tanquam a filio, sustentatus est ¹⁾); matre jam antea, in urbe Duisbur-

tigit, ex Universitatis Lovaniensis Albo desumptum, quod debeo viri ornatissimi Car. Piot, Bruxellensis, liberalitati, quodque hic cum lectoribus communicare lubet:

„Anno a navitate Domini millesimo quingentesimo tricesimo, die penultima mensis Augusti, in congregatione ordinaria almae Universitatis studii generalis oppidi Lovaniensis, apud Augustinianos celebrata, electus fuit ex facultate theologiae in rectorem ejusdem Universitatis, ex concordia electorum consensu, Rowardus Tapper de Enchusia, artium et sacrae theologiae magister, qui praestitis juramentis consuetis, recepit a suo praeessore sigillum, libros et alia rectoratus insignia, sub quo sunt intitulati, quorum nomina subsequantur:

 DIVITES CASTRENSES,

xxviii Februarii (1531 n. st.)

Georgius Casant, de *Piithem*, Flandrensis.”

Hinc apparet. 1^o. Cassandrum neque Brugis, neque in insula Cadzandia, sed in pago Piithem natum esse; 2^o. verum ejus nomen fuisse Casant sive Cassant; quod si conferimus cum insulae illius nomine, statuere licet, Cassandri patrem aut majores ex Cassandia oriundos fuisse, unde nomen illud sumpserint: vox autem Cassander nihil aliud est, nisi illud ipsum nomen, in latinam sive graecam formam redactum; 3^o. alumnum cum fuisse *Gymnasii* s. *Paedagogii Castri*; de quibus *Paedagogiis* Lipsius („de Lovanio” *Opp.* ed. Plant., 1606. III. p. 98), postquam memoravit, tres scientias primarias, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam in *Athenaei* aedificio institui solere, haec habet: „Sed praeter hunc locum, qui liberis auditionibus servit (nemo enim adigitur) sunt etiam *Paedagogia* quattuor, ubi strictior disciplina, et pueri vel adolescentes in primis artibus, atque ipsa Philosophia maxime, instituuntur. Egredi, aut abesse, sine venia non fas: et praecceptores jus suum tenent, et tempus non temere dispensant. Sunt ea quattuor, Liliun, Falco, Castrum, Porcus: ita enim nomina ab insignibus suis habent.” Cf. Nic. Vernulaci *Academia Lovaniensis, etc. Recognita et aucta per Chr. à Langendonck, Lovan. apud. Petr. Sassemum*, 1667, p. 63—72.

¹⁾ Burman, *Syll. Epist.* II. p. 293.

gensi, quo amonae caritas Brugis eam cum marito revocarat, defuncta ¹⁾). — De puerili Georgii nostri aetate nihil fere nobis cognitum est, quanquam, quod attinet ad ejus indolem, non prorsus testimoniis sumus destituti; quum, in praefatione ad Hymnorum editionem de se ipse testetur: „*ab ipsa pueritia ceremoniis ecclesiasticis, maxime in quibus ordinis et decori vestigia servantur, mirifice semper sum delectatus*” ²⁾). Adolescens petiit Lovanium, ubi per aliquot annos universitatis alumnus, versatus est. Cujus Academiae historiam, et locum, quem in rebus theologiceis tunc temporis teneret, breviter saltem exponere, ad Cassandri quoque sententias explicandas, prorsus necesse esse videtur.

Academia Lovaniensis instituta est aetate Joannis IV, Brabantiae ducis, qui litteris favendo famam nancisci studuit, rebus politicis ei denegatam. Voluntati ejus Bruxellis talem doctrinae sedem in lucem provocandi, adversatus est ejusdem urbis magistratus, quippe qui metueret, ne, tanta turba adolescentium quum in urbe adesset, civium quies tranquillitasque periclitaretur ³⁾). Alius igitur erat locus quaerendus; et mul-

¹⁾ *Opp. C. p. 883.* ²⁾ *Opp. p. 149.*

³⁾ Rom refert vetus carmen:

„Ende dese scole, ic segghe u dat,
Had hy meyninghe in ilder stat
Van Brucssel te legghene, ende dede
Des spreken met enighen van den stede
Die daer niet toe gheneycht en waren,
Noch en rieden, hoerdie verclaren,
Segghende, dat die studente in kindre
Violeeren souden der liede kindre,
Ende dat dan risen mochte in der stat
Omruet, geschille ende debai,” etc.

Vid. Baronis de Reiffenberg, „*Memoires sur les deux premiers siecles de l'Universit  de Louvain*” in „*Nouveaux memoires de l'Acad. royale de sciences et belles lettres de Bruxelles.*” Tom. V. Nec

tae erant causae, cur Lovanium caeteris urbibus antepo-
nendam putaret dux ¹⁾). Consilia hac de re cum Martino V
Pontifice inita, hunc habuerunt eventum, ut anno 1425
Papa votis indulgeret novam instituendi Universitatem,
Theologiae tamen professione nondum concessa ²⁾). Quae-
quae autem fuit causa hujus exceptionis, jam regnante
Philippo Bono, anno 1431, Eugenius IV papa facul-
tatem theologiam instituit, cujus rei magnus fuit effectus
in universam ecclesiam Catholicam. Extulit sese nova
Academia tanquam novum fidei orthodoxae propugna-
culum, tanquam novum fulcrum sedis papalis, Evan-
gelicorum impetu tam vehementer saepe et postea etiam
percussae et vacillantibus! Anno 1433 Academia legatos
misit ad concilium Basileense; quos tamen, quum per
illud auctoritatem papalem diminui videret, statim re-
vocavit, nec moveri potuit, ut alios eodem mitteret.
Eandem praestiterunt doctores Lovanienses pertinaciam
adversus Lutherum aliosque viros Reformatores; cu-

profecto Bruxellensium metus prorsus vanus fuisse videtur. Men-
tionem enim faciunt leges Academicae, saeculo 15to vel 16to identidem
latae, de "nocturna quorundam studiosorum insolentia," qui "noctu
non sine publicae quietis damno liberius armati vagarentur," aut
"impio more sacrorum tempore in Aedibus Sacris obambulant," aut
"natationis vel piscationis specie, perruptis sepibus et muris in hortos
"magnae Beginarum domus irrumperent," ut alia testimonia omittam.
Vid. Vernulaei, o. l. p. 85 seqq.

¹⁾ Vid. de Reiffenberg, l. l. et P. Diviaci, *Opera Varia, scil. Rerum
Lovaniensium libri 4. Annalium ejusdem oppidi libri VIII*, etc. p. 114.

²⁾ Quid moverit Papam, ut talem adderet exceptionem, non liquet.
Conjecturas nonnullas hac de re conguessit P. F. X. de Ram, *Oratio
de laudibus, quibus veteres Lovan. theologi efferrī possunt*, p. 24. —
Nec tamen in ipsa Ducis petitione, *theologiae* facta fuisse videtur men-
tio. Diviacus, *Ann. Opp. Lovan.* V. p. 45: "Joannes dux multis lega-
tionibus a Martino V impetravit, ut gymnasium ei Lovanii institueret
liceret, in quo artes liberales, jura et medicina docerentur."

jus rei indicio est juramentum, inde ab anno 1545 iis impositum, qui vel in Academiam ipsam adscribi vel gradibus Academicis ornari vellent¹⁾. Nulli non cognitum est, quam vehementer optaverint theologi Lovanienses (inter quos ante omnes recensendus est Ruwardus Tapperus), ut facultas sibi tribueretur in nostratrem Angelum Merulam Lovanii inquirendi²⁾. Et postea, haeresis quum vel intra Universitatis parietes penetraret, quum Michaël Bajus, et praesertim Cornelius Janssenius, maximos in Ecclesia motus excitarent, erat iterum facultas theologica, quae mediis tranquilla in undis atque immobilis maneret³⁾. Quomodo erga Cassandrum sese gesserit, postea videbimus; hinc verbo notandum est, Adrianum VI. Pontificem, Ruwardum Tapperum, Jacobum Latomum, Joannem Hesselium (nam omnes enumerare longum est), qui catholicam fidem acriter vindicarent, universitati Lovaniensi adscriptos fuisse; ita ut unus ex multis ejus laudatoribus, ut est vir plane catholicus, grato et elato animo dicere posset: „Brevi tempore adeo profecit schola theologica, ut esset in medio non solum Belgii, sed totius Ecclesiae sinu arx invicta fidei, portus et asyllum veritatis, munitissimum veluti armamentarium, unde parata semper et in religionis incude fabricata arma promerentur ad debellandas haereses, ad profliganda vitia, ad extirpenda quaelibet errorum commenta”⁴⁾.

¹⁾ „Item juro me ex animo detestari universa dogmata Martini Lutheri et aliorum quorumlibet haereticorum, quatenus doctrinis veteris et catholicae ac romanae Ecclesiae adversantur; et sequi velle ac retinere fidem veterem praetactae Ecclesiae, sub obedientia unius summi Pastoris Romani Pontificis.” de Ram, o. l. p. 36.

²⁾ W. Moll, *Angelus Merula, de Hervormer en Martelaar des geloofs*, Iris edit. p. 120, seqq.

³⁾ De Ram, l. l. p. 12 seqq. ⁴⁾ De Ram, p. 2.

His perpensis oriri posset quaestio: si haec erat indoles Academiae, ut fidem catholicam strenue et semper defenderet, quâ fieri potuit, ut Cassander illic artium liberaliorum et humaniorum amore imbueretur? Nam, etsi scriptum non invenimus, eum *theologiae* etiam studuisse, facultas theologica anima quasi erat totius Universitatis, et in universa et praeceptorum et discipulorum studia vim magnam exercebat. Profecto, si studiosorum animis forma disciplinae antiquata et scholastica apta adhuc et grata fuisset, Cassander, cujus nomen die 28 Febr. anni 1531 Academiae Albo fuit inscriptum ¹⁾, nunquam evasisset vir pacificus et liberalis, qualem fuisse postea videbimus. Sed jam nova quasi excitata erat vita. Operum antiquitatis classicorum ardore, qui ex Italia ad Occidentis regiones perlatus erat, prorsus commutata erant doctorum studia et affectus. Theol. Scholastica sibi ipsa supervixerat; abierat in vanas quaestiones, in commentarios subtilissimos, neque ea erat, quae expleret scientiae et doctrinae sitim jam ubique dominantem. Paucis annis ante, theologia ecclesiastica tanquam regula et norma habita erat, ad quam omnes caeterae disciplinae, et mere philologicae, accommodari solerent; jam vero erat disciplina philologica, quae magnam exerceret efficaciam in studia theologica. Quamvis enim professores Academici, maxima saltem ex parte, vi et armis quasi novis sese opponerent sententiis, studiosi juvenes restorationis et reformationis praecones salvere jubebant. Minime igitur mirandum, si nova temporis illius ratio, quae initio res ad religionem pertinentes non curarat, tandem etiam in opiniones religiosas et ecclesiasticas penetrabat.

¹⁾ Vid. p. 10.

Utraque disciplina et philologica et theologica eosdem oppugnandos habebat hostes; socii erant utriusque amantes in pugna adversus clericorum superbiam et malitiam. Lutheri aliorumque Reformatorum conatus nunquam tam felicem habuissent eventum, nisi ante per libera humanitatis studia principum ecclesiasticorum auctoritas summa diminuta esset. Et omnino observandum est, easdem illas profanas litteras, quae aliquando per Christianismum antiquo suo honore privatae essent, saeculo exeunte XV et ineunte XVI, multum conduxisse, ut Christianae religionis in priscam suam dignitatem restituendae studium magis magisque invalesceret.

Nova illa lux, ex litterarum studio petita, fieri aliter non potuit, quin et Lovanii radios suos effunderet. Studiorum ratio, eo tempore, quum Cassander illius Academiae fuit alumnus, mirum quantum diversa erat ab antiqua illa scholastica, tum formae quum argumenti habita ratione. Non sine magno litterarum commodo Erasmus multos ibi peregerat annos. Ille fuerat, qui irrisionis et satyrae armis, Lovanii etiam, indoctorum et humanitate destitutorum virorum dominatum labefaceret; qui „Colloquiis” suis tam vehementer lectorum animos commoveret, ut necesse ei esset, ejusdem scripti Apologiam mittere ad doctores Lovanienses, quippe qui locos comperissent, haeresin redolentes ¹⁾. Longum est commemorare omnia, quae ab Erasmo

¹⁾ In epistola Antverpia missa die 26 Febr. 1516, queritur Erasmus de doctoribus theologis, „qui a melioribus literis pertinacissime solent abhorreere, quique suam insecitiam hoc feliciter tuentur, quod id faciant praetextu pietatis, ut indoctum vulgus ab his persuasum credat religionem violari, si quis illorum barbariem coeperit incessere. Nam isti apud imperitam plebeculam potissimum solent queritari et ad lapides provocare, si periculum viderint, ne quid nescisse videantur.” de Reiffenberg, l. l. Tom. VII.

ejusque amicis (in quibus Martinus Dorpius, Joannes Custos, Joannes Paludanus, Jacobus Ceratinus ¹⁾ et praesertim Ludovicus Vives ²⁾ primas tenuisse censendi sunt) scientiae litterarumque gratia facta sunt. Erasmo auctore anno 1517 Lovanii ab Hieronymo Busleyden fundatum est collegium, q. d. „trilingue;” quo instituto cognitio trium veterum linguarum, Graecae scilicet Latinae et Hebraicae mirum quantum promoveri poterat ³⁾. Ad indolem Universitatis Lovaniensis melius cognoscendam si oculos convertimus in Parisiensem Academiam, omnino nobis observandum est, Busleydeni conatum anno demum 1529 Parisiis imitatum esse Franciscum I regem ⁴⁾. Nec tamen desunt indicia, unde appareat nobis, semina ab Erasmo sparsa Parisiis haud magis periisse quam Lovanii. In universum juvenus Parisiensis majore etiam consensu novas complexa esse videtur ideas, quam Lovaniensis; sed simul fortasse viri illitterati majore cum impetu illis adversabantur. Descriptionem valde festivam et lectu dignissimam, amoris ac reverentiae, quibus studiosi Pa-

¹⁾ Laudat eum Erasmus, „exactissimi virum judicii, moribus sincerissimis et ad amicitiam appositis, adeo ut non minus videretur natus Gratiis, quam Musis.” Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* p. 405.

²⁾ De hoc vid. W. Francken Azn., *J. L. Vives de vriend van Erasmus, in zijn leven en als merkwaardig Christelijk theoloog en philanthroop der 16^e eeuw*, Roterod., 1853; et H. G. Braam, *Dissert. Theol. exhibens Jo. Ludovici Vives Theologiam christianam*. Groning. 1853.

³⁾ De hoc collegio vid. „*Collegii trilinguis Buslidiani exordia ac progressus* cet.; ab Andrea Valerio Desselio, *Lovan.* 1614,” et praesertim doctam monographiam Felicis Nève in „*Memoires couronnés, et memoires des savants étrangers, publiés par l'Acad. royale des sciences*, cet.,” Tom. XXVIII.

⁴⁾ P. Lorimer, *Patrick Hamilton, the first preacher and martyr of the Scottish Reformation*. Edinburg. 1857, p. 30 seqq.

parisienses erga Erasmus ejusque socios affecti erant, praebet nobis epistola, scripta anno 1521, qua Erasmo Vives accurate refert omnia quae, per breve tempus, quod illic commoratus erat, vidisset et expertus esset. Erasmus contra in responso queritur, indolem Lovanien- sis Universitatis adeo Parisiensis indoli esse postponen- dam ¹⁾. Quae tamen Erasmi querelae non tanti sunt faciendae. Occurrunt enim apud illum et alia testi- monia de Lovanio, quae, ut laetiora sunt, ita veriora videntur. Sic scribit e. g. eodem anno 1521: „Est Lovanii coelum, quod vel Italico quondam adamato praeferas: non amoenum modo, verum etiam salu- bre ²⁾. Nusquam studetur quietius. *Nec alibi felicior ingeniorum proventus. Nusquam professorum major aut paratior copia* ³⁾ Lovanii coelum est perquam amoenum, nec usquam studetur quietius. *Juventus nusquam magis ardet in bonas literas* ⁴⁾.” Et jam anno 1518 declaraverat: „Non est hic minus eruditionis theologicae, quam Parisiis, *sed minus sophisticas, minusque supercilii* ⁵⁾.” Valde honorifi- cum etiam Lovanio est testimonium, quod in epistola ad Cassandrum ejusdem studiorum socius atque

¹⁾ Epistola Vives atque Erasmi responsum reperiuntur in Erasmi *Opp.* Ed. Bas. p. 538 seqq. — Cf. Lorimer, o. l. p. 33 seqq. Francken, o. l. p. 16.

²⁾ Lovanii coelum amoenum atque salubre certatim laudant histo- rici. Vid. Ortelius et Vivianus, *Itinerarium per nonnullas Galliae et Belgicae partes*, p. 3 (in Diviaci *Operibus variis*). — M. Dorpius in Oratione, *De laudibus omnium disciplinarum et Acad. Lovan.*, Lovanium vocat „locum tumultuam plane expertem, quietis ac solitudinis eiusdem, plurimos habentem recessus meditationibus studioque aptis- simos.”

³⁾ Erasmi *Opp.* Ed. l. p. 534. ⁴⁾ *Ibid.* p. 542.

⁵⁾ *Ibid.* p. 123.

amicus praebet Jac. Dryander. Hic enim amicum commonefacit pristinae ipsorum consuetudinis et familiaritatis atque affectionis ad studia humaniora, Lovanii dominantis. Comparatio, quam addit, inter Lovanium et Lutetiam Parisiorum, de praeceptoribus et professoribus hac in urbe non adeo sublimem nobis affert sententiam ¹⁾); et vehementer queritur, rebus se coactum fuisse, ut illuc sese conferret. — Dubitandum igitur nobis non est, quin indoles et studiorum ratio Academiae Lovaniensis maximae fuerint Cassandro utilitati, et aptissimae quae eum conformarent ad sententias affectusque liberaliores, quae postea cum habuisse videbimus. Lovanii enim multos sibi comparaverat amicos, quibus postea modicum illud Reformationis studium, Cassandro proprium, cordi erat, Joachimum scil. Hopperum, Andream Maesium, Metellum aliosque. Non tantum sedulam impendebat operam Latinae et Graecae antiquitatis operibus classicis, sed etiam Reformationis principis quodammodo favebat, ut ex altera nostra hujus Periodi parte imprimis nobis elucet. — Non ante, ut suspicor, anni 1533 postremam partem, Cassander „artium liberalium

¹⁾ „..... Dum familiariter illis Sorbonicis magistris nostris utor, sentio me et longe infantiozem et balbutiozem esse redditum, quam unquam fuerim..... Tunc enim, ut satis te intellexisse arbitror, recta Lutetiam proficiscebar, plurima ac pene incredibilia mihi ipsi de tanta Academia pollicens, sed me miserum! posteaquam eo perveni, et illorum ferme omnium inscitiam, superbiam, arrogantiamque maximam propius cognovi, meum infortunium miserrime deplorabam, cum vidissem me omni spe sic delusum et frustratum, ut nihil fuerit minus illa Babylonia (sic enim potius est vocanda, quam Academia), quam quod ipse credideram.” Depingit porro Parisiensium „praecceptorulorum magistrulorumque” inscitiam atque superbiam. Vid. *Centuriae Epistolarum vel a Belgis vel ad Belgas datarum*, epist. 11.

magister" est creatus ¹⁾). Ab illo tempore usque ad annum 1541 vita ejus prorsus in obscuro latet: ab anno igitur 1541 altera incipiet nostra pars.

PARS ALTERA,

Quid pro litteris et scientiis egerit? (1541—1549).

Nunc demum incipit vita Cassandri publica. Vidimus quidem hucusque, ubique eo tempore expergefactum esse litterarum studium, atque novae illae sententiae quam gratae essent dilectaeque omnibus fere, adolescentibus utique; nec tamen inde pro certo potuimus affirmare, Cassandrum etiam juvenili cum ardore motis illis in re litterarum turbis se dedisse. Nunc vero eum comitaturi sumus in florentem Flandriae occidentalis urbem capitalem, et apparebit nobis, mansionem ejus Lovanii jure dici posse periodum *praeparatoriam* ad studia humaniora sedulo capessenda. Anno 1541 Brugis munus literarium ei impositum est. Ibi enim anno 1540 vita defunctus erat illustris hujus urbis civis, Joannes Albius (de Witte), episcopus Cubensis, qui omnia prope modum sua eo destinaverat, ut inde lectiones de Theologia et Philosophia institui possent. Cujus Episcopi vitam et indolem ita nobis proponit Cassander: „Natus est hac in urbe [Brugis], loco nobilissimo, et clarissima vetustissimaque Albiorum familia. Qui cum jam e pueris excessisset, a parentibus in Hispaniam... missus est, ut jam inde ab adolescentia ad negotiationes

¹⁾ Vid. Cassandri Epist. ad Maesiam (*Opp.* p. 1685), a°. 1558 scripta, quae ita incipit: „Ex quo Lovanii una adolescentes ante anno circiter 26 ad artium liberalium magisterium promovebamur,” etc.

(quae tunc hac in urbe maxime vigeabant) informarentur. Sed is cum ingenio fuisset ad pietatem et religionem propenso, honorum, ambitionis et opum fugitans, in sodalitium eorum, qui ex praescripto et instituto Dominici vitam agunt, sese abdidit. At tam praeclaram lucernam, et in publicam utilitatem tam splendide aliquando suos radios diffusuram, Deus oculi et sub modio contineri non sinit. Cum enim Philippus princeps illustrissimus in Hispaniam cum filiabus venisset, quibus, ut linguae Hispanicae imperitis, institutor aliquis quaerebatur, qui praeter eruditionem et pietatem, utriusque linguae, Hispanicae atque Flandricae, notitia praecelleret, non alius huic muneri aptior et accommodator inveniri potuit. Quo munere cum egregie fungeretur, summo in precio et veneratione ab illis semper est habitus. Inprimis vero illustrissimae heroidis Leonorae, Francorum reginae, benignitatem et magnificentiam expertus erat, cui magna ex parte fructum huius pulcherrimi instituti acceptum referre debemus. A Carolo vero laudatissimo Imperatore, ecclesiastica praefectura insulae Cubae donatus est. Qua in insula, id quod facile quisque existimet, summis laboribus praefectum et doctorem sedulum praestitit, primusque Christo Servatori templum princeps, quod Cathedralis vocant, exaedificavit et consecravit. Tandem cum laboribus et aetate fractus rudem emeruisset, statuit, quod reliquum erat aetatis, otio reddere, atque in patria, ubi primam lucem hausisset, animam ponere: id quod etiam, Deo ejus sanctissimis cogitationibus aspirante, evenit" ¹⁾). Tradit porro C. episcopi propositum ex voto et sententia sua scholam instituendi, nunquam

¹⁾ Vid. *Orat. paneg. in laudem urbis Brug. etc.* (*Opp. Cass. p. 1264*)

bonum eventum habiturum fuisse, nisi Francorum, de qua diximus, regina vere regia liberalitate votis illis subveniendum existimasset¹⁾.— Anno igitur 1541 C. Brugas venit. Quanto jam tunc ab aequalibus aestimaretur, apparet ex „Elegia Jacobi Meijeri in honorem advenientis D. Georgii Cassandri, ac D. Johannis Albii”²⁾ cet. Audiamus poetam:

Vere novo Cassander adest: applaudite eives.

Nil nisi laeticiam tempora verna ferunt.

Inter tot nobis quae fundit munera tellus

Nullum Cassandro gratius esse potest.

Cypris amat myrtum, grata est sua vitis Iaccho.

Populus Alcidae, quercus et alta Jovi.

At nobis laurus, nobis celebretur oliva,

Ista Minerva tua est; altera, Phoebe, tua.

Has Cassander amat Musarum pulcher alumnus,

Has praeter cunctas Brugica terra colit.

Huc omnes Charites virtus Cassandrica ducit.

Huc portat Musas lingua diserta novem cet.

Quae laudes quamvis fortasse quodammodo modum

¹⁾ Cf. hac de re *Jaerboeken van Brugge* (Brugge, bij Joseph van Praet, 1765), ubi etiam scriptum invenimus, lectiones illas anno 1580 ob tumultus intestinos finitas esse (II, 546). — Theologiam in eadem schola docuit Guilielmus Talboom sive Taelboom, St. Annae et St. Crucis pastor. De eo ejusque cum Capitone aliisque predicatoribus Reformatis, litibus, vid. H. Q. Janssen, *De Kerkhervorming te Brugge*, etc. I, p. 216 seqq.

²⁾ *Opp. C.* p. 1269. — Idem Meijerus artibus litterisque magnopere favebat, et celeberrimos Humanistas amicitia sibi junxerat. Vid. Valer. Andr. *Biblioth. Belg.* p. 421. Inter hymnos, a Cassandro editos, (*Opp.* p. 147 sqq.), plures inveniuntur, qui a Meijero aut compositi, aut in legem carminis redacti sunt.

excedant (perdifficile autem fuisse videtur illis temporibus, locutionibus uti simplicibus neque exaggeratis, praesertim „humanistis” q. d., quippe qui res enuntiando amplificare et exaggerare solerent), tamen statuere possumus, aequalibus doctis et literarum amantibus, Cassandrum valde dilectum fuisse. Nec immerito. Oratio enim in munere litterario capessendo Brugis habita, nos docet, quanto humanitatis et litterarum amore esset imbutus. In hac oratione ¹⁾, quae linguae puritatem et elocutionis gravitatem sine dubio ab operibus classicis assidue et attente legendis mutuata est, primum extollit laudem Brugarum, quam urbem non satis laudari posse putat, ita ut ne dubitet quidem eam cum Athenis conferre; deinde transit ad litterarum bonarum encomium, simulque in eos invehitur, qui, ut ait, „bonas, politiores et humaniores litteras assidue crepant,” quanquam, quid his nominibus significetur, ignorant. Litterarum nomen non tenuem tantum Grammatices cognitionem, et Poetarum vel aliorum scriptorum perfunctoriam lectionem significat, sed latius hujus nominis usus patet. Ad errorem refellendum quasi bonae litterae ab artibus essent separandae et distinguendae, Latinos scriptores C. consulendos putat. „Litterae igitur a Latinis vocantur, quas qui tenent *literati, eruditi, docti, humani* nominantur ²⁾.” Quam tamen definitionem mox cum alia permutat, quae nimirum nomen honorificum „erudito-

¹⁾ Orationis titulus est: „Oratio panegyrica in laudem urbis Brugarum, et studiorum humanitatis, atque lectionis publicae, nunc primum in urbe institutae a Rever. Patre D. Joanne Albio, ejusdem urbis cive, Episcopo Cubensi, habitu Brugis a G. Cassandro, quarto No. Maji, an. XLI (Opp. C. p. 1251—1269).

²⁾ P. 1262.

rum et litteratorum hominum" iis tantum tribuit, „qui non solo ingenio, et natura freti, jam inde a pueritia studio, diligentia, certisque praeceptis, potissimum ad politius certaque cum ratione loquendi facultatem, pertinentibus, animum excoluerint: cujusmodi artes et disciplinae, quod literis ac libris traderentur, *litterarum* nomine significari coeptae sunt..... Ex his omnibus perspicuum est literatos, doctos, humanos, eruditos multo (*nullo?*) discrimine eosdem appellari." Quid causae est, cur Graecorum et Romanorum instituta et mores, multo melius cogniti sint, quam caeterarum barbararum gentium? Nempe quia his defuerunt scriptores, qui liberali eruditioni disserendi elegantiam ornatque loquendi facultatem jungerent. — Sed jam accessimus ad locum orationis celeberrimum, quo aggreditur C. saeculi sui homines litterarum fugientes, quique, sive linguam nervosam, seu stylum gravem spectamus, aequae nobis admirandus videtur. „Quid" ita affatur Ciceronem, „quid te dicturum fuisse putamus, M. Tulli, si quo fato aetas tua in hanc tempestatem incurrisset? Vidisses enim non tam Romanum imperium a Gotthis, Hunnis, Vandalis afflictum* atque vastatum, quam linguam Romanam a barbaris et imperitis scriptoribus laceratam atque vexatam, qui non minus stylo in omnes bonas artes, quam illi gladio in corpora hominum, crudelissime saevierunt. Vidisses historiam, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, quam multi clarissimi utriusque linguae scriptores, tam splendide, tam magnifice excoluerunt, tam miserabiliter ab indoctissimis et omnium bonarum artium imperitis scriptoribus dissecatam et deformatam. *Quid amabo dixisses, ubi in specula historialia, legendas aureas, Romanorum gesta mo-*

ralisata incidere te contigisset? Vidisses etiam jus civile, in quod studium non levem operam contulisti, plurimorum scriptorum, quos enumerare longum esset, prolixissimis scriptis, iisdemque illiteratissimis, quasi exercitu copiosissimo angustas, et inutiles doctiss. aliquot et veterum juris consultorum reliquias includi et obsideri. Vidisses philosophiam, quam tu matrem appellabas omnium benedictorumque beneque factorum, exuto rursus splendore illo et lumine literarum Latinarum, quo tu propemodum primus et solus illam adornasti et illustrasti, non jam, quod tua aetate evenisse commemoras, tractatam inconsiderate a viris, optimis quidem illis, sed parum eruditis, *sed ab hominibus, ab omni humanitate alienissimis*: quique ipsi odium et bellum omnibus studiis ingenuarum et humanarum artium indixerunt, *tam sordidatam, laniatam, dissectam, ut plane eam non sis agniturus*. Non haec dico, quo hujusmodi scriptoribus aliquid apud suos detractum velim (*quis enim hujusmodi labris tales lactucas incideat?*), sed ut rudem et studiosam juventutem ad studia litterarum et humanarum artium, quae jam singulari Dei beneficio renasci coeperunt, quasi classico quodam provocemus: quibus studiis, si jam ab ineunte aetate inficiatur, ad majora illa instructor multo veniet et paratior ¹⁾.” Litterarum artiumque humanarum amor, qui hoc loco patet, clarius etiam in oculos incurrit, quum mox probare conatur, institutum illud episcopi Cubensis omnia superare, quae in civium usum et commodum ab aliis unquam sunt facta. Quid? quod ne ii quidem qui pauperibus, viduis, pupillis consulendum curarent, (quantumvis licet caeterum laudandi) Episcopo illo

¹⁾ P. 1263.

aequiparari possunt. „Superiora enim omnia, aut non usque adeo necessaria sunt, aut ab aliis abunde perstita. Literae vero, quibus sublatis non aliter quam sole subducto tenebris, omnia ignorantia involvi necesse est, in haec usque tempora fere jacuerunt, paucissimosque patronos et defensores invenerunt. Quo magis illi laude et admiratione digni sunt, qui neglectam hanc beneficentiae partem arripuerunt, et excolendum literarum locum et occasionem studiosis adolescentibus praebuerunt, quorum e numero optimum hunc virum fuisse, perspicuum est ¹⁾.”

Quid mirum, si talis vir, tot dotibus instructus, tantoque novorum temporis illius studiorum amore praeditus, non tantum discipulos, sed omnes cujusvis generis cives amicos et fautores sibi comparabat? Qui inter incolae Brugarum celeberrimos primo loco censi meretur, Cornelius Baersdorp, medicus, pro illo tempore, peritissimus, cui post urbis gubernandae cura demandata fuit, Cassandrum gratum acceptumque habebat ²⁾. Quin etiam orta est postea magna copia *Cassandrianorum*, qui vocari solebant, cujus rei perspicua habemus testimonia in editis concionibus famosi illius fratris minoris Cornelii Adriani Dordraceni, qui per longum temporis spatium Brugis concionabatur ³⁾; cujusque conciones, typis impressae, incipiunt ab anno 1566. Hic igitur vir affirmat

¹⁾ P. 1266.

²⁾ Et Brugis relicta C. Baersdorpium amicitiam colebat. Vid. Cass. Epis. tom. 41 et 49 (*Opp.* p. 1134 et 1143).

³⁾ *Historie van Broer Cornelis Adriaense van Dordrecht, Minrebroeder binnen de stadt van Brugge . . . Nevens zijne . . . Sermoenen enz. Twee Dln. Na de copie van Brugge t Amsterdam bij Abraham Beekholt. 1698.* Quod ad authenticam horum sermoenum impugnandam objicit Beaucomt de Noortvelde, satis refutatam videtur a Janssenio o. l. II. 153—158.

anno 1567 urbem Brugarum Cassandrianis esse refer-
tam; et anno post, vix ullum esse Brugis virum doctum,
quin pesti illa Cassandrica (*deze Cassandersche
Lazerije*) vitiatus sit. Magno cum contemptu ét
Cassandrum ét ipsius in mediis partium contentionibus
agendi rationem auditoribus proponit (*dit Cassander-
ken, dit tusschenbeyde-looperken*), et Cassandrianos
sectam habet maxime omnium perniciosam, „die oyt
onder het menschelyck gheslachte quamen, want met de
Catholijcken willen se de beste Catholijcken van der
wereldt schijnen te zijn, ende met de Lutherianen
willen se de meeste vijanden der heyliger Roomscher
kercken schijnen te zijn, dier souden kunnen oft
mogen wesen ¹⁾.” Concionator scilicet iste satis habebat
causarum, cur tam hostili odio Cassandrum perseque-
retur. Unus enim ex hujus sectatoribus maxime
devotis, Johannes Castelius (van den Castele), antistes
primum Brugis, deinde in pago Zomergthem, nomine
Stephani Lindii, fratri Cornelio binas miserat litteras
de saeculari Papae potestate atque de Missa rite cele-
branda, in quibus ob convicia illa in Calvinistas gravi-
ter simul et modeste eum reprehendit ²⁾. Dubitandi
locus non erat, quin litterarum scriptor Cassandri
sententiis esset addictus: nimirum eandem ostendit in
rebus proponendis perspicuitatem, eandem in aliis diju-
dicandis lenitatem, eandem erga *veterem* Christianam eccle-
siam affectionem ³⁾. Profecto, nisi naturam suam plae-

¹⁾ *Serm. van br. Corn.* I, 230. II, 118, 123.

²⁾ Vid. illae epistolae *Serm.* I. 138—153, 177—193, et cf. Jansen, o. l. l. 82 seqq. — In *Indice librorum prohibitorum*, in mense Martii a^o. 1569 promulgato, Lindii etiam epistolae notatae sunt (*Ibid.* p. 96).

³⁾ Si dubitet quis, num et quatenus Lindii sententiae cum Cassandri

exuisset Cornelius, non vehementer irasci Castelio non potuit. Sed et urbis magistratui fratris maledicta erant audienda ¹). — Licet autem inter causas, cur tot haberet Cassander Brugis sectatores, haec praecipua sit fortasse, quod scripta ejus irenica ibi assidue legentur, quaeri potest, num legissent illius scripta, nisi aliquot annis ante ipse inter eos versatus esset, atque verbo et exemplo mitissimum de aliter cogitantibus iis iudicium commendasset, et saniores evulgasset sententias. Nam ubi Cassander suos habuit imitatores, vix quaedam esse potuit affectio erga hierarchiam ecclesiasticam. Studia humaniora et illum liberaverant iugo antiquatae orthodoxiae. Et, quamvis non eo usque progressus sit quo viri Reformatores, κατ' ἐξοχὴν ita dicti, tamen eorum conatus cordi ipsi erant; et novi rerum ordinis studiosi in Cassandrum tanquam in amicum ac socium oculos convertebant. Brugis adhuc commoranti ei epistolam misit Jacobus Dryander, de quo supra jam actum est (pag. 18); Dryander vel Enzinas, notus ille Hispanus Reformationi addictus, qui anno 1546 ob opiniones haereticas Romae flammis est traditus ²). Alius ex amicis ipsius epistolae praemittit Panegyricum, quo merita Cassandri, non tantum in litteras, sed in religionem etiam, laudibus extolluntur:

In Christi quantum pietas tua sudet ovili,

conveniant, conferat inter se *Serm.* I. p. 146 et *Opp.* C. p. 1121 (ep. 30).

¹) *Serm.* II, 126: „Wij meenen, dat wij al van goede Catholijeko Magistraten oft Wethouders ende Pensionarisen gheregheert worden; maer eylacen, het is verre van daer, het zijn al gheveynsde, bedeckte, dobbelde, deurtrocken Cassandrianen.” Cf. II. 129, 132, 199.

²) Gieseler, *Lehb. der neueren Kirchengesch.* III. 1. pag. 515.

Ad nos verorum nuntia fama tulit;
 Perge bonis avibus comitantibus, auspice Christo,
 Perge nigrum sacro sternere fuste gregem.
 Arripe Scripturae fundas, tormenta, sagittas,
 In Goliathaeum projice saxa capat.
 Regia jam veteris trepidat ruitura Babelis
 Extremumque sibi sentit adesse diem.
 Alter ut Atrides victricibus utere telis.
 Parvo, ne dubita, tempore victor eris.
 Audiat hanc celebris saltem Germania laudem;
 Te patriae Brutum dixerit esse tuae.
 Ipse ego cum repetam clarum pietate Philippum,
 Cassandri feriet sydera pura fides.
 Qui patrio profugas demulcet in orbe Camoenas,
 Barbariemque suo detulit imperio.
 Interea Musis dulcissima cura, Georgi,
 Vive memor nostri, perpetuumque vale. ¹⁾

Verbo etiam agendum est de scripto, a Cassandro, quum Brugis versaretur, confecto, ac dicato Corn. Baersdorpio et Joanni Clayssonio, urbis Brugarum Thesaurario. Dico autem „Tabulas breves et expeditas in praeceptiones Rhetoricae ²⁾.” In epistola dedicatoria, idem, ait, tunc temporis usu venire, quod in Romanorum historia legitur: irrumpentibus enim in Capitolium barbaris, anseres strepitu et clangore hostes repulisse; canes vero, quorum esset insolentem illum motum indicare latratu, prorsus conticuisse. Nam ii, qui eruditorum et literatorum virorum nomen sibi sumebant, nihil, secundum Cassandrum, faciebant,

¹⁾ Vid. Burman, *Syll. Epist.* II. p. 300. — Cf. *Cent. Epist.* I. epist. 6.

²⁾ Brugis 1542. — A^o. 1550. Coloniae prodit editio altera recognita. Invenitur in *Opp. C.* p. 1272—1292.

quæ cum litterarum tum morum barbaries propulsaretur; probi vero cives, qui laici et profani saeculares appellabantur, operam omnem et industriam conferebant, ad studia humanitatis non capessenda tantum, sed et iuvanda et promovenda. In horum numero etiam B. et C. erant referendi, quibus auctoribus Cassander hujusce „Tabellæ” compositionem susceperat. De methodo autem, quam secutus erat, hæc memorat: „In qua [tabella] conficienda potissimum hoc nobis studio fuit, ut series praeceptorum, et artis methodus, quasi nuda omnique ornatu detracto, omnibus patefiat, omnesque praeceptiones quasi ansulae catenatim se consequentes atque annexae deducerentur.” Receptam retinuit divisionem in Inventionem, Dispositionem, Elocutionem, et appendicis loco addita est figurarum rhetoricarum et legum Compositionis explicatio. Forma scripti est *erotematica* ¹⁾. Definitiones clarae et perspicuae sunt, et loci probantes, partim ex veterum classicorum scriptis, partim ex S. S. petiti, auctoris sensum plerumque bene illustrant.

Per breve tantum temporis spatium Brugis vixit Cassander. Mox ei urbs relinquenda erat; et ea quidem de causa, ut narrat Goethals ²⁾, quod opiniones ejus theologicae Reformatorum sententiis nimis convenirent.

¹⁾ E. g. „Quid est inventio? Est earum rerum, quae ad causam obtinendam pertinent, certis e locis deprehensio.

Quid est dispositio? Est apta partium orationis et locorum seu argumentorum distributio.

Quid est elocutio? Est idoneorum verborum et sententiarum ad rem inventam accommodatio, Graece *Ῥησῖς* dicitur.

²⁾ *Lectures relatives à l'histoire des sciences*, Bruxell. 1837. I. p. 56.

Quod testimonium si conferimus cum alio, unde effici potest, persecutiones religionis causa institutas coëgisse Cassandrum, ut *patriae* quoque valediceret ¹⁾, valde improbabile nobis videtur, eum Brugis relictis Gandavi artes professum esse, quod affirmat Friedrich. Fieri quidem potest, ut, quemadmodum ubivis fere scriptum invenimus ²⁾, Gandavi artes docuerit Cassander; sed statuendum est, id factum esse prius quam Brugas venisset adeoque ante annum 1541. — Historia docet illis praesertim temporibus, magno cum furore in Reformationis assecclas actum esse. Anno 1540, quum adisset Imperator provincias Belgicas, qui seditionem Gandavi ortam sedaret, facile intellexit, Reformationis in illis regionibus efficaciam frangi non posse, nisi majore cum violentia et rigore agi juberet ³⁾. Edictum, illa occasione pervulgatum, Cassandrum igitur coegit exulatum ire; qui, patria relicta, multos annos in peregrinatione peregit, ita ut ante annum 1549 jam Romam, Coloniam ⁴⁾, Lutetiam Parisiorum ⁵⁾ et Argentoratum ⁶⁾ adisset. Si ulla esset inter urbes peregrinas, quae aptissima ei sedes videretur, nullo dubio Argentoratum erat. Nulli enim Reformatio meliorem invenerat locum, quo radices ageret; nulli melius praeparata, majore vi orta

¹⁾ Vid. Andreae Hyperii Epist. ad Cassandrum, 4 Calend. Jul. 1553, (*Cent. Epist.* 7): "... Utinam aliquando audire detur, doctrinam coelestem vereque Christianam, quae te, quae me, quae multos alios, vitae innocentia commendatos, coëgit exulatum ire, in patria nostra locum aliquem obtinere."

²⁾ Vid. e. g. *Onomastica Valer. Andreae, Foppensii, Joecheri (Gelehrten-lex.)*, Hoogstrateteni aliorumque.

³⁾ Vid. Ypey & Dermout, *Geschied. der nederl. herv. kerke.* I. p. 151.

⁴⁾ *Opp.* p. 1293—1294. ⁵⁾ *Opp.* p. 849. ⁶⁾ *Opp.* p. 890.

ac majore cum prudentia progressa erat, quam in illa quidem urbe, ubi Johannes Geilerus (van Kaisersberg), Matthias Zellius, Martinus Bucerus olim vixerant vel adhuc vivebant. Viri Cassandri indole praediti, qui ex animo novas complecterentur ideas, sed simul paci ecclesisticae ante omnia studerent, nec deerant Argentorato; et suspicari licet, commercium cum Bucero in Cassandri sententias confirmandas et illustrandas maximi fuisse momenti. Hic porro, quum omnem operam navaret litterarum atque artium humanarum studio restaurando, quam quaeso aliam Argentorato anteponeere posset urbem? Etenim Johannis Sturmii laudandi conatus publicam juventutis institutionem in altiore perfectionis gradum evehendi, optato usi erant successu; ita ut Gymnasii, anno 1538 instituti, praestantia ab omnibus certatim laudaretur. Quid? quod viri urbis nobilissimi postea altiora etiam spirare coeperunt, et Jacobus Sturmii senator vel sibi proposuerat Universitatem instituere, in qua cujusvis Christianae societatis, *Catholicorum* etiam, viri docti una et communi consilio agerent. Nec tamen inde hierarchia papalis novas acciperet vires; nam viri Catholici moderati, Sadoletus, Contarini aliique, huic Universitati erant destinati. Quanquam autem Sturmium spes frustrata est, tamen propositum ejus pulcherrimum est monumentum animi ipsius vere liberalis ¹⁾).

Verum alia etiam causa erat, cur Cassander Argentoratum se conferret. Ibi enim inde ab anno 1544 habitabat doctus et Hebraicae linguae peritissimus juve-

¹⁾ Vid. de his aliisque ad reformationem urbis Argentorati pertinentibus rebus, T. G. Röhrich, *Geschichte der Reformation im Elsass und besonders in Strassburg* (Strassburg, 1832), in primis II. p. 50 seqq.

nis, Paulus Fagius, cujus eruditionis fama nusquam non pererebuerat ¹⁾). In illam igitur urbem profectus atque in Fagii aedibus versans, ab eo primam Cassander litterarum Hebraicarum cognitionem duxit ²⁾). Ita ibidem viros quosdam Protestantes sibi conjungere studebat ³⁾), ut simul caeremonias ecclesiae Catholicae incorruptas magno semper aestimaret ⁴⁾). — Quam ob causam aliquamdiu Romae commoratus sit, ipse nobis

¹⁾ Auctore Bucero ab urbis magistratu illuc evocatus erat Capitonis vice, quem die 2do Nov. 1541 pestis rapuit. Tam praedicationibus quam predicationibus habendis doctrinam suam et pietatem prodidit, et magnam sibi existimationem comparavit. Postea, quum in τῶ Interim Augustano acquiescere non posset, Argentorato relicto, in Britanniam profectus est, ubi jam mortuus est die 13 Nov. 1549. Vid. Röhrich o. I, II. p. 33, 191, 205.

²⁾ "... Cum... Argentinae ad tempus versaretur, ut Fagium, Hebraicas litteras priusquam profiterem eadret etc." *Opp.* p. 890. — Cf. *Cent. Epist.* I. Epist. Bullingeri: "Studiosissimo verae pietatis et eruditionis juveni, D. Georg. Cassandro, Argentinae agenti, in aedibus D. Pauli Fagii, amico singulari."

³⁾ Amicitia junctus erat Bullingero, Joh. à Lasco, Sebastiano Castellioni aliisque. Vid. *Cent. Epist.* I, 8, 9.

⁴⁾ Testimonio sunt verba, quae sequuntur, quaeque et Cassandri et Buceri indolem ante oculos ponunt: "Cum ante annos fere viginti Argentinae ad tempus versaretur, die Ascensionis dominicae sacra, primum ejus urbis templum concionis audiendae causa ingressus est; cumque ibi et rarum populi conventum, ut profestis diebus fieri solebat, et concionem non a pastore, sed a quotidiano ministro fieri conspiceret, qui in tota concione ne verbulo quidem hoc tantum mysterium attingeret, vehementer offensus in Bucero incidit, atque cum eo expositans, mirum aiebat sibi videri, cur in hoc festo, in quo tantum mysterium continetur, celebrando, ab antiqua et universali Ecclesiae consuetudine recessissent; ille autem ingemiscens respondebat: Quam doleo inquit, hoc festum a nostris non observari: deberet nos merito commovere et reverentia veteris Ecclesiae et charitas praesentis; quod dictum altius animo ejus insedit, ut qui illud latius patere, et ad plura accommodari posse, atque adeo in multos importunos reformatores torqueri posse animadverterit." *Opp.* p. 890.

indicat in epistola dedicatoria „Tabularum praeceptionum dialecticarum,” declarans, inchoatum esse illud opus Romae, „cum illic veteris illius ac jam pene collapsae urbis vestigiis ac monumentis, et praesentis jam nunc atque florentis moribus et studiis inspiciendis vacaremus ¹⁾.” — Tandem anno 1549 Coloniae sedem locavit, et jam studia ejus alio tendunt. Linguae et antiquitatis peritia, antea pro maxima parte applicata ad scriptores Graecorum et Romanorum profanos, ab illo tempore eo serviebat, ut Sacra Scriptura et patres ecclesiae melius intelligerentur. Efficacia hujus rei in Cassandri vitam et scripta ejusmodi fuit, ut ab anno 1549 nova periodus sit incipienda.

Jam vero quaerentibus, quatenus magnorum temporis illius motuum Cassander particeps fuerit, respondendum est, eum litterarum amori odium superstitionis conjunxisse, atque adeo eundem tenuisse locum ac permultos litterarum amatores tempore Reformationis. Hinc jam statim concludere possumus, eum revera nunquam ad Protestantium castra transiisse, etiamsi multis in rebus iis assentiretur. Accedit, quod naturam mitis ac pacis studiosus, non is erat, qui huic vel illi Christianorum partium, vehementer saepe contendendum, sese astringeret. Friedrich itaque, quum discrimen inter priorem et alteram Cassandri vitae periodum hoc modo indicat ²⁾: „Sic igitur tempus aliquod nobis licet constituere, ex quo Cassander, quanquam modo minus conspicuo, a Protestantibus recedebat, et ad sententiam suam, qua nondum explicita Reformato-ribus addictior erat, explanandam et accuratius definiendam sese applicabat,” nescio an nonnihil res exaggerata sit.

¹⁾ *Opp.* p. 1293.

²⁾ *o. l.* p. 10.

Non hoc prior periodus discernitur, quod majore animi consensu Reformationis principiis Cassander addictus esset, quam postea; sed hoc, quod naturali quasi instincta medium tenebat inter partes sibi invicem oppugnantes; medium, quod postea demum scientiae ope defendere ac commendare conatus est. Quod adfertur, Cassandrum a nonnullis viris Protestantibus tanquam foederatum et socium habitum fuisse, haud magis probat, eum revera *fuisse* eorum socium, quam epistolae ad se invicem datae ¹⁾. Ad hoc enim quod attinet, et in altera periodo (i. e. post annum 1549) nonnulli Procestantes ejus amicitiam coluisse videntur, quod de Bullingero saltem pro certo affirmari potest ²⁾; nec tamen idcirco, quod auxilium ejus in pugna adversus Catholicos valde sibi profuturum putarent, sed quod ob ingenii animique dotes virum pacificum magni ducebant. Nam, quod jam anno 1545 Bullingerus de Cassandro testatus est: „Exstat liber, quem a te visum et lectum arbitror. Scimus sane quorundam judicia, *et meliora de te speramus, quam neutri parti te addixeris hactenus, ac luberius haud dubie judicare queas,*” ³⁾ nihil aliud est nisi quod idem scripsit anno 1558: „amo te, Cassander, *et propter pietatem et propter litteras, cupioque a te amari vicissim*” ⁴⁾.”

At videamus, quid ex Cassandri operibus effici possit. De se ipse affirmat: „Initio quoque lectioni eorum, qui ecclesiae Reformationem pollicebantur, addictior, *iniquior fuit iis, qui Pontificii dicuntur*” ⁵⁾;” sed praetermittendum non est, quod sequitur:

¹⁾ Friedrich o. l. p. 8, 9. ²⁾ *Cent. Epist.* 19, 26, 27.

³⁾ *Cent. Epist.* 1. ⁴⁾ *Ibid. Epist.* 17.

⁵⁾ *Opp.* p. 812. — Friedrich o. l. p. 9.

„ea potissimum de causa, quod lanienis et incendiis potius quam argumentis et rationibus sua tueri et aliena refutare viderentur.” Neque igitur *religionis causa* iniquior fuerat Pontificiis, sed quod saevis suis conatibus humanitatem exuisse videbantur. Initio opusculi sui „De officio pii viri” superiorem suam vitam nobis proponit tanquam dubiis vexatam, ita ut, quid fugeret, videret, quo autem confugeret, videre nondum posset; donec tandem, lectis S. Scriptura et patribus ecclesiasticis, portum aliquem reperisset. Ubi loquitur de ritibus ecclesiasticis, declarantem eum audimus, se „inde ab adolescentia” ²⁾, quin imo „inde a pueritia” ³⁾ iis dilectatum fuisse. Jure itaque de se ipse testari potuit: „*nunquam* ita se parti ulli addixit, ut Catholicae ecclesiae, ad nos propagatae, communionem abjuraverit, et non potius *charitate et reverentia prosecutus sit*; et, ut Reformationem et abusuum correctionem desideramus, id tamen *semper* absque significatione discessionis et separationis a reliquo Christi corpore fieri optavit;” et Bezae iudicio assentiri: „Sic statuo: Cassandrum id scripsisse, quod sentit, quamvis ab ejus sententia plurimum dissideam; nec miramur hominem, *qui nunquam fuit nostrarum partium*, eos, pro quibus facit, defendere ⁴⁾.”

Agite animum attendamus ad Cassandri vitam privatam, sed minime otiosam.

²⁾ *Opp.* p. 781. ³⁾ *Opp.* p. 149.

⁴⁾ *Opp.* p. 890. — Hamelmannus (*Opp. Genealog. histor.* II. p. 1339) non aliter de Cassandro iudicat, quam de Wicelio, Balduino, aliis, dicens: „Georgius Cassander, Flandrus, cum diu fuisset Evangelicus, et cum Sacramentariis summam aluisset familiaritatem, quod ego certis possum indicis testari, *relapsus tandem ad Papismum*, et scripsit” etc. Posthac tamen occasionem habebimus observandi, fidem Hamelmanni historicam non omni dubio esse majorem.

PERIODUS ALTERA,

*Quae agit de Georgii Cassandri pacis inter
Christianos reconciliandae studiis.*

(1549—1566).

PARS PRIOR,

Quae est praeparatoria (1549—1561).

Quae in sequentibus memoriae tradentur, locum plerumque obtinere in ea Occidentalis Germaniae parte, quae ad sinistram Rheni fluvii ripam extenditur, et pro maxima quidem parte in urbe Colonia Agrippina. Haec autem urbs, omni tempore hierarchiae papali ac cultui externo et sensibus accommadoto addicta, hanc ipsam ob causam Reformationis elementa parum fovere potuit. Reliquiae sanctorum innumerae et cathedralis templi magnificentia magnum semper alliciebant numerum peregrinorum, qui ad prosperam urbis conditionem multum conducebant. Schola theologica, anno 1388 ad Universitatis honorem evecta, majorem, ut sponte intelligitur, vim nacta erat Colonia doctrinam et cultum Romano-Catholicum, per totam *inferiorem* Germaniam, tuendi ac promovendi; et, quemadmodum philosophia Aristotelica, ubicunque florebat, hominum animos a novis amplectendis sententiis avertere solebat, idem etiam Coloniae accidit. Theologi Colonienses studiis humanioribus acerrime erant inimici, et pugna eorum adversus Reuchlinum atque

ipsius socios, ex historia satis nota est. Quanquam igitur illic non prorsus deerant melioris sentiendi rationis vestigia; quanquam saniorum Mysticorum, Valdensium, Beguinarum ac Fratrum vitae communis ad altiorem statum praeparandum conatus non prorsus fuerant inutiles, tamen veritati consentaneum est dicere, Coloniam respuisse Reformationem: qui enim ad puriorem cultum inclinare videbantur, cruentissimis persecutionibus erant obnoxii ¹⁾).

Sed inter omnes, qui novam illa in urbe rationem promovere studebant, prae ceteris memorandus est vir nobilis atque omni aestimatione dignus, Hermannus comes Wiedanus (van Wied), inde ab anno 1515 Archiepiscopali et Electorali munere functus. Quum antea fuisset Protestantismum exosus, sed semper moribus integer, clericorum et laicorum vita solutior sensim sensimque animum ejus ad Reformationis causam agendam aliquatenus sane incitaverat. Johanni Groppero, consiliario suo, Reformationis lineamenta adumbranda curaverat, quae anno 1536 Episcopis, ad synodum congregatis, probanda tradidit Archiepiscopus. Mox tamen intellexit plura etiam facienda esse, et doctrinam ipsam in puriorem statum redigi debere. Ad hunc finem anno 1539 Melanthonem consuluit; anno 1542 Bucerum ex Argentorato ad se arcessivit; et anno 1543 Saxoniae Electorem rogavit, ut venia daretur Melanthoni aliquamdiu Coloniae commorandi. Quo facto Melanthon, Coloniam profectus, una cum Bucero aliisque theologis nonnullis novam concepit Reformationis delineationem,

¹⁾ Vid. Max Goebel, *Geschichte des Christlichen Lebens in der Rheinisch-Westphälischen Evangelischen Kirche*, I. p. 29—55.

quae, ab Archiepiscopo ac reipublicae ordinibus probata, eodem anno 1543 praelo mandata est. Qui tamen omnes conatus optatum non habuerunt successum. Clerici universi summa acerbitate eos impugnabant, et Pontificem atque Imperatorem ad acerrimum obnixum movere conabantur. Quid? quod etiam Protestantium nonnulli Archiepiscopi consiliis obsistebant. Nam praeterquam quod Lutherum offendit sententia, in illo Reformationis consilio lata, de Sacra Coena, Johannes Fredericus Elector hoc imprimis improbandum censuit, quod non in omnibus Augustana Confessio norma habitata fuisset. Quid multa? Acerbitas, Romano-Catholicorum praesertim, accrescit magis ac magis. Archiepiscopus, abdicatis omnibus muneribus, recipit sese in comitatum suum, successore Adolpho comite Schaumburgico, qui antehac Hermanni fuerat coadjutor ¹⁾).

Jam vero illo ipso tempore Cassander Coloniae adfuisse videtur. Patet enim ex epistola dedicatoria, „Tabulis praeceptionum dialecticarum” praefixa, eum postquam aliquamdiu Romae egisset, jam anno 1544 Coloniae versatum esse ²⁾). Quod eodem loco legi-

¹⁾ De Hermanno Wiedano ejusque Reformationis consiliis vid. Gieseler, o. l. I. 1. p. 321. — Goebel, o. l. I. p. 62, 254—272. — Hamelm, o. l. II. p. 1330 seqq. — C. W. Hering, o. l. I. p. 119. — J. P. Berg, *Reform.-Gesch. der Länder Jülich, Cleve, Berg, etc.* (Hamm 1826) p. 63 seqq. — L. Ränke, o. l. IV. 153, 260 seqq. — Auctor ultimo loco citatus (p. 261) pius nolis Archiepiscopum ita depingit: „Er war ein langer Mann, mit schneeweissem Bart, von würdiger Erscheinung und einem Ausdruck, in welchem sich Gutnützigkeit, Ernst und Ehrlichkeit durchdrangen.” Quomodo et in patria nostra Reformationem suo modo promovere conaretur, videre licet in opere historico *Kerkhistorisch Archief, verz. door N. C. Kist en W. Moll. I. 1.* p. 11, 113.

²⁾ *Opp.* p. 1294.

mus, „eum post varias itinerum ambages, divinae voluntatis flatu, Agrippinam tanquam in portum aliquem appulsum,” difficultatem quandam parit, eo, quod aliunde cognitum habemus, Cassandrum non ante annum 1549 Coloniam quietam studiorum sedem elegisse ¹⁾. Sed fortasse illa difficultas commode tolli potest, si statuere nobis licet, Cassandrum Coloniae offendisse Bucerum, qui, ut vidimus, Hermanni Archiepiscopi rogatu, eo sese contulerat; porro inter utrumque virum, indole ac sententiis valde consentientes, intimam ortam fuisse familiaritatem, adcoque Bucerum, reversum Argentoratum, Cassandrum movisse, ut se eodem comitaretur. Hinc etiam facile explicari potest jam anno 1545 Cassandrum Argentorati apud Fagium adfuisse. Utut est, anno 1549 Coloniae sedem fixit, et ab eo inde tempore ibidem ac vicinis locis usque ad mortem habitasse videtur, vitae silentio nonnunquam brevibus itineribus interrupto ²⁾. Secundum epistolam, eodem anno ad Cassandrum datam, primum versatus est in aula comitum Novae Aquilae (van Nieuweuaer), ³⁾ quod scire multum nostrâ interest. Erat enim stirps fortis ac generosa, quae insignem occupabat locum inter minores Occidentalis Germaniae ditiones, et, quod imprimis memoratu dignum, Reformationis vim et efficaciam experta erat. Guilielmus comes (1519—1553),

¹⁾ *Opp.* p. 812.

²⁾ Fuit e. g. circa annum 1553 in nostris regionibus (*Opp.* p. 1168); sed cur et quam diu hic commoratus sit, ignoramus. Novimus tantum, eum Daventriae et Groningae versatum fuisse; quod apparet ex ipsius *Epist.* 26 (p. 1117), et praesertim ex *Epist.* 65 „ad Reineraum Alberda Groningensem”, ubi, in fine (p. 1160) salutem dicit, „D. Reinero Reetori, Martino nostro, ejusque fratri, *hospiti nostro humanissimo.*”

³⁾ *Cert. Epist.* 3.

qui matrimonio comitatum Meursanum (Meurs) ditioni suae adjunxerat, atque ejusdem frater Hermannus, Coloniae et Aquisgrani praepositus, Archiepiscopo Hermannō, in factis ejus reformatoriis ex animo assenserant; et hic inprimis, qui ipse strenue artes colebat, omnium litterarum amatorum, quantum potuit, fautorem sese gerebat ¹⁾. Guilielmi filius Hermannus (1553—1579), uxore ducta principis Arausiaci sorore, Reformationem in regionibus suis variis modis promovere conabatur, adjutus hac in re ab Henrico Bommelio, populari nostro, qui, anno 1560, Vesalia pulsus, jure dicitur composuisse librum ritualement, a comite Reformationis normam habitum ²⁾. Si quaeratur, num Cassandri quoque consilium a comitibus Novae Aquilae adhibitum sit, affirmari illud posse videtur, quamquam testimonia certa hac de re nobis desunt; nam, cetera ut taceam, postea etiam non raro fieri solebat, ut Cassandri auctoritas invocaretur ad dubia varii generis tollenda ³⁾. Primum, quod in hac vitae suae periodo Coloniae edidit opus, „Tabulae” sunt „locorum dialecticorum.” Hoc autem scriptum, quod est appendix „Tabularum praeceptionum dialecticarum,” continet *Topicam* sive „inveniendorum argumentorum rationem” atque dicatum est Gymnasiarcho Embricenci Matthiae Bredeba-

¹⁾ Sic v. e. Humanistae Monasteriensis Hermanni Buschii (van den Bussche). Vid. Dr. C. A. Cornelius, *Die Münsterischen Humanisten und ihr Verhältniss zur Reformation*, p. 20.

²⁾ Conferantur, quae scripsit vir doctissimus L. J. F. Janssen, „De Nederl. Hervormden te Wezel,” etc. (*Archief voor Kerk. Geschied. in zonderheid van Nederland, van Kist en Roijaards, Deel V*, p. 371.) — De comitibus Novae Aquilae vid. Hamelm., I. p. 402, 753. Berg p. 175. Goebel, I. p. 425.

³⁾ *Cent. Epist.* 18. — Inter Cassandri epistolas duae occurrunt ad Bommelium scriptae (*Opp.* p. 1079 et 1083).

chio Kierspensi, qui non tantum artium litterarum-que erat studiosus, sed etiam inter Catholicos et Protestantas mediam viam struere conabatur ¹⁾. Majoris momenti est scriptum anno 1551 a Cassandro editum, cui titulus est: „*De viris illustribus liber primus. Continens vitas eorum, qui commemorantur in Sacris Bibliis usque ad Regum historiam* ²⁾” ob ea, quae in epistola dedicatoria Guilielmo, duci Clivensi, de studiorum suorum mutatione testatur. Antequam tamen uberius epistolae illius argumentum exponam, breviter de principe illo ac de conditione regionum Clivensium ecclesiastica, quaedam cum lectoribus communicanda esse arbitror ³⁾.

Johannes III, qui matrimonio suo anno jam 1511 in Juliae, Montium ac Ravensburgi possessionem venerat, anno 1521 patri successit in ducatus Clivensis ac Marcani comitatus gubernatione, quo facto regiones florentes ac satis amplae ejus curae mandatae fuerunt. Sub hujus, praesertim vero filii, imperio, multum boni in causa religionis institutum est, quum non tam Reformationi aperte et constanter faveret, quam turpes abusus tolleret, et cultum in simpliciore statum redigeret, vel ut aliis verbis utar, quum promoveret Reformationem *erasmiano-melanthonianam*. Ad modicam illam et liberalem agendi rationem magni sine dubio momenti fuit

¹⁾ Postea tamen magis magisque in Catholicorum partes sese pertrahi passus est. Vid. Goebel, I. p. 88, et Hamelm., II. p. 1010, qui idem (II. p. 1424) inter Westphaliae „virose celebres” eum refert. — Opusculum Cassandri modo laudatum editum est anno 1550, et invenitur *Opp.* p. 1331 seqq.

²⁾ *Opp.* p. 1053 seqq.

³⁾ De his consului Hamelmannum; W. Teschenmacherum (*Annales Cliviae, Juliae etc.*); J. D. von Steinen, *Reformations-Historie des Herzogthums Cleve etc.*; J. P. Berg, o. l. Max Goebel, o. l.

partim necessitudo, quae Joſtanni intercedebat cum aula Saxoniae ¹⁾, partim Erasmi ejusdemque sociorum efficacia. Jam anno 1530 ministris suis mandaverat dux ut puriori verbi divini praedicationi prospicerent, sed simul vitarent quaecunque aliquo modo dissensionem et offensionem anſam praebere possent. Mox secuta est plena ecclesiastica institutio (*kerke-ordering*), ab Erasmo confecta ²⁾, quae praecipue in altera eademque aucta editione anni 1533, laudandum ducis studium indicat Romano-Catholicos et Protestantes communi vinculo secum invicem conjungendi. Felicior etiam Evangelicorum conditio erat sub duce Guilielmo IV, qui anno 1539 patri successit. Magistro usus erat celeberrimo Conrado Herisbachio, qui postea ei erat a consiliis, cujusque opera factum est, ut sensim sensimque aulici ad unum fere omnes tali Reformationi studium impenderent, qualem supra descripsi. Quin ulterius procul dubio progressus esset dux Guilielmus, nisi bello cum Carolo V Imperatore, de Geldriae possessione, infeliciter

¹⁾ Nimirum filia ejus Sibylla, inde ab anno 1527, matrimonio juncta erat Joſtanni Frederico, Electori Saxoniae. — Annam filiam, anno 1539 uxorem duxerat rex Anglicus, Henricus VIII, qui tamen, ut notum est, jam anno sequenti eam repudiavit. Teschenm. p. 327.

Narrat Teschenmacherus (p. 330): „Reformandae in Ducatu Cliviae Religionem imprimis occasionem dedit matrimonium inter Johannem Fridericum, Electorem Saxoniae, et Sibyllam, Johannem III, Ducis Cliviae, filiam *), quippe qua affinitate factam est ut Johannes Fridericus ter ad Clivenses fuerit profectus, adducto secum Antistete suo aulico, Friderico Myconio, qui errores Pontificios e suggestu sacro in illis diebus publice refutavit, atque ansam dedit, ut multi puriora sacra fuerint amplexi cet.”

²⁾ „Quae *limanda* tradita erat Erasmo Rotherodamo” ait Hameln. p. 985. Sed vide, quae scripsit L. J. F. Janssen l. I. 365, not. 48.

*) T. habet *sororem*. Falso.

gesto ¹⁾ et subsequenti matrimonio cum Ferdinandi Austriaci filia inito, agendi libertas pro magna parte ei adempta esset. Igitur ante pactum Passavii anni 1552, et pacem Augustanam anni 1555, sententias ac consilia sua plane aperire non potuit. Eum autem ad rem melius agendam non raro Cassandri auxilio usum esse, observandi postea occasionem habebimus.

Jam ad Cassandrum reversi, videamus, quid ex epistola illa, supra jam memorata, efficiendum sit. Incipit dicendo „nullam rem nec utilitate jucundiozem, nec jucunditate utiliorem sibi esse videri narratione ea, quae illustriorum virorum res gestas et casus, apta luculentaque oratione complectitur.” Quae narratio autem ut juxta regulam sit instituta „duo potissimum requiruntur, *auctoritas* et *gratia*. Illam veritas, et fides narrationis, hanc vero similitudo quaedam et cognatio, quae nobis cum iis, quorum res gestae proponuntur, intercedit, parere et conciliare consuevit ²⁾.” Quorum utrumque nusquam commodius reperiri potest, quam in sacra Bibliorum historia. Perquam igitur mirum Cassandro videri solet, cum illustrium virorum barbarorum, „hominum, ut magnorum, *impiorum* tamen,” dicta fac-

¹⁾ In convento, cum Imperatore, anno 1543 Venloae inito, hoc, inter alia, duci praescriptum est: „...Inprimis, quod ipse Illustriss. Dominus Dux omnes suas haereditarias terras ditiones et subditos... in orthodoxa fide et religione nostra et universalis Ecclesiae conservabit et retinebit, ac nullam penitus innovationem faciet aut fieri permittet, et si quid jam per aliquos ex subditis seu aliis in diversum immutatum seu innovatum esset, ipse cum omni diligentia curabit ut id tollatur,” etc. Vid. W. van Loon, *Groot Gelders Placaet-boeck*, I. col. 21.

²⁾ „Facilius enim et firmiter ea credimus, quae vera esse persuasimus, iis vero, quae nobis quodammodo conjuncta sunt et affinia, tum libentius assentimur, tum vehementius afficimur et commoveamur.”

taque studiose a multis, ab ipsa pueritia, legantur, Abrahami, Israël̄is aliorumque „principum nostrae religionis” vitas vix aut ne vix quidem in vulgus puerorum innotuisse. Quod si partim sane tribuendum est cum Bibliorum voluminis amplitudini, tum rerum mysticarum, quae passim occurrunt, obscuritati et sermonis insolentiae, cum divino Bibliorum volumine agendum est, quomodo Plinius egit cum amplissima et latissime diffusa Romanorum historia; atque ea quidem ratione, ut excellentium virorum vitae et mores, quorum in iis libris memoria celebratur, prudenter et cum iudicio seligantur, et perspicue ante oculos proponantur. Id cum a nullo factum videret, hanc provinciam ultro suscepit, quanquam non diffitetur, multos aptius atque politius hac in re acturos fuisse. „Nam, ut ingenue fateor,” (et quae sequuntur verba dignissima sunt quae conferantur) „minus mihi nunc sentio Musas politiores, quarum subsidiis res haec indiget, propitias ac faventes, posteaquam eas vicissim impensius colere et observare desii, magisque me cum aetas, non tam annis, quam morbis ingravescens, tum perpetua ingenii naturaeque propensio, ad graviora, magisque necessaria, quibusque non tam arcta cum his humanitatis literis consuetudo est, studia provocat et impellit, quorum tamen cursum atque impetum duo mala tanquam compedibus injectis retardant et remorantur: *fortunae tenuitas*, et hac multo tetrrior afflictissimae valetudinis pertinacissimeque adherentis *infirmitas*, quae tamen ex illorum ipsorum studiorum qualicunque perceptione et gustu, aequo et placato animo ferre didici, cum nihil homini praeter Dei voluntatem accidere, omniaque quamvis tetra et acerba Deum colentibus in bonum converti sciam.” Est autem in his expli-

candis potissimum Sacrarum litterarum fidem secutus; in paucis tantum Josepho, Paraphrasibus atque Traditionibus Hebraeis adhibitis. Quod autem principi Guilielmo illud suum opus dedicavit Cassander, hanc potissimum fecit ob causam, „quod eam operam non prorsus inutilem fore credam scholis tuis, ad quas in tuis provinciis constituendas, conservandas, amplificandas, intelligo te toto animo et studio omni incumbere.”

Quae ejus verba haud uno profecto nomine attentionem merentur. Ostendunt enim nobis Cassandri studia a quodam inde tempore alio tendere. Non jam classica erant Graecorum Romanorumque opera, in quae omnes animi vires impenderet, sed ad ipsam Sacram Scripturam oculos et animum converterat. Quo quantum mutatum esset ejus judicium, statim hinc conficere licet, quod veteres heroes, antea certe impensius laudatos, jam non gravatur homines dicere *impios*. Verum etiam ad animum adversus vitae calamitates et pericula luctantem corroborandum ac consolandum, Sacrae Scripturae lectio maximae ei fuerat utilitati. Duae erant res, quae per totam vitam cura et sollicitudine eum afficerent: fortunae tenuitas ¹⁾, et praesertim adversa valetudo corporisque infirmitas ²⁾.

¹⁾ Jam in *Orat. Panegy.* (*Opp.* p. 1252) „neque optavi” inquit, „neque appetivi... neque (quod acquissimo animo fero) consecutus sum [praestantem florentemque fortunam.]” Querelae de opum tenuitate in ejus epistolis non raro occurrunt (vid. e. g. *Epist.* 2, 107), et saepius ab amicis vel fautoribus pecuniam accepit (*Epist.* 20. 63. 80. 83. 88. 95. etc.) *Cent. Epist.* 4. 13. In *Epist.* 96 ad Fredericum, Archiepiscopum Coloniensem, scribit: „Quod... tua Reverendissima ecclesitudo vino rubello nos colonestare statuerit... isti R. C. tuae in me studeo gratias ago.”

²⁾ Vehementes erant *podagrae* et *chiragrae* dolores, quibus corporis vires extenuabantur. Omne, quod vel aliquatenus corporis sanitatem

Cogitantibus quoties factum sit ut violentis doloris cruciatibus finis ejus studiis imponeretur, permirum nobis videtur, eum tot tantaque scribere potuisse. Nulla fere est ex ejus epistolis, quin querelas contineat de infirma atque incerta valetudine; et in hac ipsa epistola a corporis conditione pendere ait, utrum reliquas illustrium virorum vitas persecuturus sit, necne ¹⁾. Eo magis igitur gaudemus, quod Scripturae lectio hoc etiam effecerat, ut tranquillitate Christiana adversam fortunam sustinere posset, ac Pauli effato assentiri: τοῖς τοῦ Θεοῦ ἀγαπᾶσι πάντα συνεργῆναι εἰς ἄγαθόν (Rom. 8, 28).

restaurare posse judicaret, adhibendum jussit, quantum sane, per rei pecuniariae inopiam, licuit. Valetudinis causa fontes Leodienses visit (Epist. 14); medicos peritissimos consuluit (Epist. 32); rarissima sumpsit medicamenta (Epist. 57. Cf. Cent. Epist. 34: "de rubo vilicoso, quem Hispani *garçam pavillam* vocant." Epist. Ximenii ad Cass. apud Burmannum, o. l. II. p. 277: "Indicavi D. Biremanno, quae jusseras de *potione illa gemmea*." Morbum modo vocat "violentissimum tyrannum;" modo confert cum Satanac angelo, de quo Paulus 2 Cor. 12, 7 (Epist. 55); et lectoris animum commovet, quod epistolae cuidam sub scripsit: "dictatum Duisburgi, e *lectulo doloris*" (Ep. 97). — Nihilominus gaudium nobis afferunt tot tantaque Christianae tranquillitatis (e. g. in Epist. 55), quin imo joci leporisque indicia: scribit enim Bullingero (Epist. 22): "vel hac aestate hebdomadas aliquot e pedibus decubui, podagrâ nempe, quam tamen omnes injuste mecum, hoc est, eum hoc *temi, jejuno, et exsucco corpore agere judicant;*" et Andreae Maesio (Epist. 85): "Itaque, qui olim strenuus eram Peripateticus, nunc vero non *Cynicus, sed clinicus.*" Cf. Epist. 12.

¹⁾ Revera non liquet, eum historiam illustrium virorum, qui in Bibliis commemorantur, perfecisse. — Duo scripta, in operum collectione recepta, *Viri aliquot illustres, qui ante Procam in Latio fuere* et *Ad C. Plinii secundi de viris illustribus librum. Appendix illustrium virorum, qui cum Pompejo fuere* pertinent sine dubio ad vitae ejus periodum *humanisticam*, quum postea, ut vidimus, judicium ejus de viris antiquitatis illustribus valde mutatum sit. Ea fortassis Brugis in discipulorum usum composuit.

Nec tamen Scripturam solam, sed patres etiam ecclesiasticos deinde strenue legebat Cassander quorum opera in variis Coloniensibus bibliothecis invenerat. Cujus rei indicium habemus in duorum operum antiquiorum editione, in eadem hacce periodo ab eo parata, dialogum dico *De praedestinatione et libero arbitrio*, Honorii presbyteri Augustodunensis ¹⁾, et *B. Vigili martiris et Episcopi Tridentini opera*, quorum quaedam nunquam antehac integre edita, et nunc demum suo auctori vindicata. . . . Adhaec commentarius *de duabus in Christo naturis et unica hypostasi, adversus praecipuas hujus aetatis haereses* ²⁾. In illius scripti epistola dedicatoria ³⁾ breviter historiam dogmatis de praedestinatione percurrit, duntius paullo commemorans in describendis litibus inter Augustinum et Pelagium atque utriusque socios agitatae. Narrat porro sententiam hac de re Augustinianam paulatim obsoluisse et oblitteratam esse, donec tandem Deus viros excitaret, qui „hanc germanam et veram de praedestinatione et voluntatis libertate sententiam” rursus in lucem proferrent. Quorum e numero fuit Honorius ille Augustodunensis, „cujus cum in tua, venerande pater, bibliotheca librum, quo *orthodoxam* de hoc argumento sententiam exponit, repertum legissem, non indignus tum mihi, tum aliis bonis viris visus est, qui in publicum emitteretur, praesertim hac aetate, qua paradoxo illo, quod necessitatem fatalem inducere, et omnem semel libertatem tollere videbatur, aut explicato aut refutato, — periculum est, ne nonnulli vel rerum sacrarum

¹⁾ *Opp.* p. 615 seqq. ed. anno 1552.

²⁾ *Opp.* p. 449 seqq. ed. 1555.

³⁾ Dedicatum est Hermanno à Boucheim (?), monasterii Brunwyle-
rensis abbati, ex cujus bibliotheca hunc librum sumpserat Cassander.

et theologicae vetustatis imperitia, vel nimia humanarum et philosophicarum rationum fiducia, dum extantes scopulos facile evitant, in Syrtes occultas nec minus tamen periculosas ex adverso latentes, impingant, neve *pro solido et expresso Catholicae veritatis corpore*, Pelagianae vanitatis umbram et nubem amplectentur." Ad hanc controversiam melius intelligendam, addidit Cassander duas epistolas, alteram Prosperi, alteram Hilarii, ad Augustinum; praeterea locos aliquot selectiores ex hujus scriptis *de praedestinatione Sanctorum* et *de Dono perseverantiae*. Quod autem ad Honorii sententiam attinet, „non eos judices admittit, quorum animus vel humanis opinionibus, vel philosophicis ratiocinationibus, vel communibus vulgi erroribus est praepeditus, sed eos demum, qui vel uberiore gratia Spiritus Sancti, vel pleniore Sacrarum litterarum et ecclesiasticorum scriptorum, *praesertim Augustini*, in iis libris, quos post ortam hanc haeresim conscripsit, cognitione sunt praediti." Cassander ipse virium suarum tenuitatis memor, de hoc argumento non disputaturum se dicit, sed tantum „ex canonicae Scripturae et Catholicae ecclesiae sententia, *cujus me iudicium et normam semper sequi profiteor*" nonnullorum impiorum hominum cavillis occurret. Falsam assertionem, si certa definitaque est praedestinationis sententia, nihil attinet boni aliquid operari, refutat dicendo: alterum sine altero locum habere non posse, sed praedestinationem et bona opera tam necessario copulata atque conjuncta esse, quam e. g. convalescere et medicum adhibere, quomodo et secundum Paulum, gratia *glorificationis* gratiam *justificationis* annexam habeat atque conjunctam (Rom. 8, 30). Bernardi igitur verba probat Cassander: „Sunt ea, quae dicuntur

merita, occultae praedestinationis *indicia*, futurae felicitatis *praesagia*, *via regni, non caussa regnandi.*" Neque rursus a bene operando reprobationis metu retardari nos patiamur. „Quin potius credendo in Christum, et operibus pietatis praeceptisque ejus, quod ex ipsius gratia in nobis est, obtemperando, nos non esse reprobos confirmemus, et mentibus nostris persuadeamus. Neque enim aeternae praedestinationis et futurae glorificationis arcanum aliter quam his tanquam *mediis* et interjectis signis et argumentis cognosci et deprehendi potest." Manent igitur Sacrae Scripturae monita ac minae. „Neque enim doctrina praedestinationis eo spectat ut filiis seculi peccandi audaciam subministret, sed ut filiis regni, aut si adhuc in peccato versentur, resipiscendi, aut, si jam conciliati sunt, fortiter adversa tolerandi, et strenue in operibus pietatis perseverandi, animum et voluntatem suppeditet" ¹⁾).

De Honorii autem scripto brevis esse possum, quod in exponenda orthodoxa doctrina Augustinum praesertim est secutus, cujus de praedestinatione et libero hominis arbitrio sententia nulli non cognita est. Ipse nobis a Johanne Trithemio ita proponitur: „Augustodunensis ecclesiae Presbyter et Scholasticus, vir in Scripturis studiosissimus, et valde eruditus, atque in saecularibus scientiis nobiliter doctus, ingenio subtilis, et clarus eloquio," qui vixit sub Henrico V Imperatore ²⁾. Eodem loco tituli inveniuntur operum ejus,

¹⁾ Cf. quae de hoc dogmate scripsit in Consultatione *de articulis religionis inter Catholicos et Protestantos controversis* art. 18. (*Opp.* p. 961).

²⁾ *Opp.* C. p. 622. — Quod ipse Honorius affirmat in ipsius *Vita*. (Dr. J. G. T. Grässe, *Lehrb. einer literärgesch. der berühmtesten Völker des Mittelalters* II: I. p. 52.)

quorum pleraque mystici fuisse videntur argumenti. — Caeterum subtiles distinctiones apud eum non desunt. Ne dicam ex ejus sententia *praedestinationem* ad electos tantum pertinere, apud „reprobos” vero de *praescientia* tantum sermonem esse posse (quae opinio multis quoque patribus ecclesiae accepta fuit), apud eum etiam distinctio invenitur, quam hodie quoque theologi Groningani vindicant: inter *volendi* et *agendi* libertatem ¹⁾. Ad scripti summam paucis indicandam, haec afferre sufficiat: „Nullus igitur locum gratiae intrabit, nisi quem divina providentia ad hunc ab initio praedestinavit, et nullus praedestinationem secundum merita, quae infantibus nulla sunt, obtinebit; sed eam secundum gratuitam Dei gratiam possidebit. In multis vero mansionibus eos locabit, hoc est diversa gaudia eis dabit..... Nullus quoque in loco contumeliae suppliciorum particeps erit, nisi quem divina praescientia ad hunc futurum praescivit. Qui autem ibi demerguntur, magis secundum occulta et incomprehensibilia Dei judicia, quam secundum merita, quae infantibus nulla sunt, retrudentur. Tamen quia per liberum

¹⁾ Nuper etiam vir clariss. P. Hofstede de Groot hanc distinctionem tuitus est in *Waarheid in liefde*. 1858. I, dicens (p. 18): „Het onderscheid tusschen deze twee ligt voor de hand; en wordt evenwel door de Geleerden weinig gemaakt. Zelfs weet ik maar van één vroegeren Godgeleerde, die het met een woord aanroert:” Episcopus scil. In posterum et Honorius Augustodunensis, ejusdem sententiae socius, citari poterit, quippe qui scripserit (*Opp. Cassandri* p. 627): „... Longe aliud est eligendi libertas, aliud agendi facultas. Liberum enim arbitrium est tantummodo libertas bonum vel malum eligendi, quod ad Angelos et homines pertinet. Possibilitas autem bonum faciendi, ad Dei solius donum attinet.... Angelus per liberum arbitrium eligere bonum potuit, proficere autem sine Dei adjutorio nullo modo potuit.” Respondet discipulus his verbis magistri: „*Gratias refero tibi, qui haecenus hanc discretionem non audisti.*”

arbitrium malum eligentes, hoc toto corde usque in finem operando dilexerunt, pro diversis meritis diversas poenas haereditabunt."

Vigilii opera dedicata sunt Henrico Baersio, Clivensis ducis cancellario, qui cum plerisque aulicis erasmiano-melanthonianis sententiis imbutus, Cassandrum quoque amore prosequabatur. Nam praeterquam quod Cassander in aedibus celeberrimis, quondam consularibus, ejusdem Baersii beneficio, aliquot annis diversatus est ¹⁾, et saepe ipsius ac Herisbachii consilia in modicae Reformationis commodum a cancellario adhibita sunt, — multae ex Cassandri epistolis ad Baersium, tanquam ad amicum, scriptae sunt ²⁾, quem in ipsa hac epistola dedicatoria sic laudat: „Ut verum fatear, saepenumero mihi mirari contigit, qui fieri possit, ut homini aulicis et publicis negotiis implicato et pene distracto, tanta tamque variarum rerum cognitio, quae nisi altissimo ocio, assidua lectione non obtinetur, supeditet: videlicet in caussa esse puto, quod, quantum alii a negociis gravibus ludis et jocis temporis impendunt, id omne in honestarum rerum lectionem conferas: deinde quod incredibili et prope divino memoriae beneficio excellas. Sed ego hinc Panegyrim laudum tuarum contexere nolo" ³⁾, cet. Quid autem moverit Cassandrum, ut Vigilii disputationes adversus Eutychetem aliosque haereticos in lucem ederet, ipse nobis explicat his verbis: „sua aetate easdem prope modum haereses, cum quibus vir ille antea configebat,

¹⁾ *Opp. C.* p. 813.

²⁾ Vid. *Epist.* 8. 10. 12. 17. 36. 40. 43. 69. 72. 81. 105. 108.

³⁾ *Opp.* p. 457. — Cancellarii filius, Adolphus, patris vestigiis institit, et item Cassandro amico usus est. Vid. *Epist.* 9. 24. 62. 63. 101. 112. 116.

resuscitatas et quasi ab inferis reductas sibi esse visas." Est enim hoc omnibus Cassandri scriptis proprium, quod *certa data occasione* composita sunt, atque ex aetatis conditione originem duxere. Vigili quoque operum editio, et additus commentarius *de duabus in Cto naturis*, duos illius temporis viros haereticos spectabant, utrumque Anabaptisticae sectae aliquatenus annexum, popularem nostrum Mennonem Simonis (qui apud Cassandrum audit Simon Menno) et Adamum Pastoris. Ille, in Germania, Cliviae etiam regionibus, magno temporis spatio ibi peracto, sententias pervulgaverat, in quibus ejus opinio de Christi incarnatione, quamvis non nova, in multorum invidiam incurrerat. Nimirum ut Christi *ἀνθρωποποίησην* suo modo vindicaret, thesin proposuerat: „Christum suam *carnem* non ex Mariae semine accepisse, sed immediate a Deo per efficaciam Spir. S. in Maria illam *creatam* fuisse" ¹⁾, qua statuta sententia, haud magis quam Valentinus gnosticus, qui similia fere docuerat ²⁾, *Docetismi* culpam effugere potuit. Adamus Pastoris contra, et ipse doctrinae ecclesiae parum studiosus, prorsus diversam fovit opinionem, quippe qui docuerit „Christum esse verum hominem, sed esse Deum Patrem priorem suo filio Christo, *Ariano* more" ³⁾. Ad hos duos viros

¹⁾ Vid. K. Matthes, *Comparative Symbolik aller christl. confessionen*, (Leipzig 1854.) p. 374. — Cf. Hagenbach, *Dogmengesch.* p. 641. — Cum Mennone de hac controversia disputavit anno 1554 Martinus Micron, quod narrat A. M. Cramer, *Het leven en de verrigtingen van Menno Simons*, p. 105 seqq.

²⁾ Nimirum secundum V. Christus ita per Mariam vitam terrestrem intraverat „καθ' ἅπερ ὕδωρ διὰ σωλῆνος ὀδεύειν" Hagenbach, o. l. p. 135.

³⁾ Hamelm. o. l. II, p. 1181. — Verum ejus nomen erat Rudolphus Martini (Rudolf Martens). Cramer, o. l. p. 85.

provocat Cassander, ut ostendat „haereticorum hominum inter se congressibus et conflictationibus veritatem catholicam illustrari et confirmari. Nam haereses pleraeque ex alterius haeresis incauta evitacione et insectatione natae sunt” ut apparet ex Arii et Sabellii, Eutychetis et Nestorii, Pastoris et Mennonis sententiis inter se collatis. „Hinc fit ut, cum ingenio plerumque valeant, in ea parte, qua orthodoxam fidem sequuntur et adversariam haeresim impugnant, explicanda, optimam ecclesiae et utilissimam operam navent.” Ita de haeresi tanquam de *antidoto* quodam cogitando, non potuit non Cassander ex aequo et bono alterius errores judicare. „Haec,” ait, „eo lubentius commemoravi, ut intelligamus etiam haereticorum eos, qui deploratissimi videntur, *aliquid integri et sani habere*, unde et ecclesiam juvare possint, et ipsi quoque non prorsus desperandi sint, sed omni cura et sollicitudine ad integram sanitatem sint revocandi.” Refert sane ut remedia appositissima adhibeantur; nam „ut in aliis morbis, ita in *haec animi aegrotatione* curanda multis modis vitium admittitur..... Cum autem haeresis publici et contagiosi morbi speciem habeat, duplex cura adhibenda esse videtur. Una publica, qua contagio illa, ne ad alios quoque serpat et manet, praecavetur, ut medici in aëre purgando, victus ratione praescribenda et laborantium, congressione prohibenda, faciunt. Altera privata, quae laboranti adhibetur, ut illi, si fieri possit, sanitas restituatur, et si minus ob morbi vehementiam id effici possit, certe ab aliis labes et contagio arceatur. Id quoque a rei medicae peritis observari videmus, ut vel contagiosissimo morbo laborantem, *non statim*, ne videlicet alios contagione illa corrumpat, *enecandum et e medio tollendum* censeant,

sed omni cura et studio in sanitate ejus, qui laborat, restituenda, incumbant.... *Nemo enim nisi crudelissimus eos, ne videlicet aliis contagione noceant, occidendos esse censeat, sed potius ab aliorum hominum commercio et congressu submovendos, et sanis hominibus, ne in eam lucem incidant, consulendum esse judicet.*" Hanc rationem secuti sunt praestantissimi olim episcopi; nec miramur Cassandrum hic exempli gratia proferre Ambrosium et Martinum Turonensem, qui aliquando caedem in Priscillianum perpetratam vehementer improbaverant ¹⁾.

Quis vero ille Vigilius, cujus opera polemica Cassandri ope oblivioni sunt erepta? Cassandro auctore episcopus fuit Tridentinus, qui floruit sub imperatore Anastasio (491—518), et a barbaris hominibus, quorum idolum fregerat, lapidibus est obrutus ²⁾. Prorsus ignoramus, unde narratio illa petita sit; quo fit, ut incerti simus de fide ejus historica. Posteriores historici ³⁾, magnum Baronium secuti, Vigilium illum tradunt mortuum esse circa annum 400; quod si verum est, disputationes adversus Eutychem ab eo scriptae esse nequeunt, nam lites Eutychianae ortae sunt demum medio fere saeculo V. Jure fortasse statuamus auctorem, hominem obscurum, nomen *tunc* celeberrimum

¹⁾ Simili ratione postea loquitur in epistola ad ducem Clivensem, qui munus ei injunxisse videtur, Anabaptistas quosdam in sanum restituendi. "Opto sane," inquit, ut talis correctio et medicina adhibeatur, qua et ab aliis contagio erroris prohibeatur, et *resipiscendi tempore concessa* miserorum saluti consulatur." *Epist.* 99. — Locos diversos, ubi de haereticis agit Cassander, congregit Brandt, *Historie der Reformatio*, I: *Aantek.* p. 34.

²⁾ *Opp.* C. p. 458.

³⁾ E. g. Fabricius, *Biblioth. latin.* VI. p. 327. — Jöcher, *Gelehrtenlex.* in voce.

Vigilii Tridentini sumpsisse, ut sententiae suae majoris viderentur momenti; cujus agendi rationis historia ecclesiae Christianae multa nobis affert exempla ¹⁾). Quod quaecumque tandem est, quinque illos libros adversus Eutychetem Cassander non tantum dignos habuit, qui in lucem ederentur, sed addidit etiam sua manu expositionem: „Commentarium” jam aliquoties memoratum, „de duabus in Christo naturis et unica hypostasi.” Hic imprimis in oculos incurrit, quam strenue legisset Cassander patrum ecclesiasticorum opera. Commentarius ubivis fere ejus eruditionem ostendit et ad dogmatum historiam illustrandam et amplificandam mirum quantum valet; sed simul citatorum librorum abundantia et ratiocinatione prolixiore non tam clarus est et dilucidus, quam caetera ejus scripta. Omnium eloquiorum, quae in quaestione de persona Christi tractanda usurpari solent, significationem: *naturae, personae, οὐσίας, ὑποστάσεως*, cet. viâ etymologica et historica accurate perscrutatur. Quodsi quaerimus, quid igitur Cassander, disquisitione peracta, de magna illa quaestione senserit, agite legamus hanc definitionem: „Nunc igitur facile intelligi potest quid sit verbi incarnatio, nempe humanae naturae a persona verbi assumptio in unitatem hypostasis, hoc est ita ut ex persona verbi divinae naturae et ex humana natura utraque proprietates suas retinente, una hypostasis seu persona conficiatur. Haec autem duarum naturarum in unam personam conjunctio et tanquam coitio, usitato et recepto nomine *unio hypostatica* nominatur,

¹⁾ Quid, quod ipse harum disputationum auctor, fuerit episcopus Tridentinus necne, narrat nobis, se antea edidisse librum sub celeberrimo Athanasii nomine, (*Opp. C.* p. 451), quod apud Cassandrum exstat *Opp.* p. 480—512.

quo fit ut aliter incarnatio explicari possit, ut dicatur *humanae naturae cum verbi persona hypostatica unio*¹⁾).

Epistolae quoque Cassandri ejus antiquitatis studiorum testimonio sunt²⁾. Saepe amici auxilium ejus implorabant ad solvendam in legendo hoc vel illo ecclesiastico auctore ortam difficultatem. Epistola quaedam ad Baersium missa, ostendit nobis, eum semper in studiis suis viam regiãam ingressum esse, nec nisi necessitate urgente aliorum relationibus confidere solere; cum affirmet se non temere citatis aliorum testimoniis fidem adhibere, nisi eos in ipso fonte deprehendat et conferat³⁾. — Alius ex ejus amicis, Richardus Cox, Anglicanae ecclesiae episcopus Eliensis, eum consuluisse videtur de imagine crucis seu crucifixi in templo collocanda, qua de re non per omnia episcopo cum suis convenerat⁴⁾. Cassander in tali erigenda imagine nihil videt, quod reprehendendum sit, modo omnis superstitio populi rescindatur ac caveatur. Hoc tantum postulat ut in hoc signo crucis efformando ad ipsius archetypi, hoc est, verae crucis, in quo Servator noster sublatus est, speciem et ideam respectus habeatur. Quae autem fuerit crucis figura, ex Irenaei et Gregorii

¹⁾ *Opp. C.* p. 593.

²⁾ Vid. e. g. *Ep.* 12. 25. 29. 30. 110. 114. etc.

³⁾ *Epist.* 12. (p. 1091).

⁴⁾ Vid. *Cent. Epist.* 2. Cf. Cass. *Epist.* 20 (*Opp.*, p. 1010). Richardus Cox, antea Eduardi VI regis magister, Maria Catholica regnante, ex Britannia in Germaniam profectus erat. Illic, vel fortassis etiam Lovanii, Cassandrum cognoverat, qui in epistolae initio *te autem,* inquit, *in eo fastigio collocatum nostrae adhuc tenuitatis et humilitatis non immemorem fuisse, habeo gratiam, ac munusculum illud duorum coronatorum, quod literis inclusum erat, pro symbolo pristinae nostrae consuetudinis libenter accipi.* Sub Elisabethae regno episcopali munere potitus erat. Vid. J. P. Berg, o. l. p. 148.

Turonensis testimoniis apparet. „Nam quî quaeso fieri posset, ut humanum corpus jam morte quoque imminente ingravescens, et exporrectum dependens, non mole sua et pondere palmas affixas discerperet. Cui rei ita prospectum erat, ut in medio fere stantis et erecti stipitis tabella immitteretur, cui plantae hominis eo supplicio affecti insistebant et clavis affigebantur, ita ut non tam pendentis, quam stantis hominis speciem repraesentaret.” Si autem necesse habeatur, ut undique crucis ista figura Scripturae testimoniis cingatur et muniatur, tales adscribantur loci, qui crucis mysterium et arcanam significationem explicent; quales multi in novo Testamento extant et ad institutionem populi aptissimi sunt ¹⁾.

Fieri autem aliter non potuit quin Cassandri studia ab aequalibus magni ducerentur. Mox vel gravissimum munus ipsi injunctum fuisset, nisi prohibuisset temporis conditio. — In urbibus, ubi saepe degebat, fuit etiam Duisburgum ²⁾; ibique circa annum 1554 consilium initum erat Academiam erigendi. Cassander autem primus hujus Academiae rector destinatus, Sacras literas et theologiam professurus erat ³⁾; Balduinus jurisprudentiam; Joannes Sturmus et Joannes Sleidanus historiam et elegantiores disciplinas; Reinerus Solinan-

¹⁾ Cassander commendat ad hunc finem Col. 2, 13, 14; 1, 18—20; Gal. 6, 14; 1 Cor. 1, 17; Gal. 2, 19; Matth. 10, 38; Matth. 16, 24.

²⁾ Vid. *Epist.* 6. 9. 12. Per aestatem vulgo ibi agere solebat: *Epist.* 22. Bonnae quoque et Xanthis plerumque commemorabatur: *Epist.* 22. Coll. 10. Anno 1558 Cassander et amicus Cornelius Gualterius communibus sumptibus domum emerunt Duisburgi. Vid. W. Köhnen, *Zur Geschichte des Duisb. Gymnasiums in 16 u 17 Jahrh.* 1ster Abschn. p. 7.

³⁾ Köhnen, 1. l. p. 7.

der medicinae rerumque physicarum scientiam ¹⁾). Voluit igitur, ut ex nominibus illis elucet, Guilielmus dux, ut nova Academia sedes foret doctrinae ac eruditionis non tantum, sed et purioris de Sacris sentiendi rationis; quo magis dolendum, propositum suum ducem assequi non potuisse ²⁾. — Neque praetermittendae sunt epistolae, anno 1557 a Centuriatoribus Magdeburgensibus missae, non ad Cassandrum solum, verum etiam ad ipsius amicum ac contubernalem Cornelium Gualterium (Woutersz.). Gualterius ille ex illustri familia ortus esse videtur; pater certe senator erat in suprema Flandriae curia; ipse autem canonicus in Donatiani collegio Brugis. Illic, vel fortasse jam Lovanii, noverat Cassandrum; et mox inter utrumque virum tam intima orta est familiaritas, ut Gualterius sane totam vitam Cassandri amori devoveret, et particeps esset omnium amici itinerum studiorumque. Communiter semper vivebant, jam inde ab anno 1545 ³⁾; et quanti Cassander Gualterium faceret,

¹⁾ Vid. J. H. Withof, *Acta Sacr. Saecul. Acad. Duisb.* (Duisb. 1756. 4^o.) p. 83 sqq. — Solinander medicus erat ducis Clivensis, et Cassandri amicus. Vid. hujus Epist. 34 et 57 (*Opp.* p. 1125 et 1152). Withof cum dicit "virum, ut scriptis immortalibus... ita Sacrorum tum temporis emendatorum amore satis celebratum" (p. 85). Johannes Sicidanus, sive potius Philipsen, ex oppido Sleiden, in Aquisgrani jurisdictionis finibus sito, famam celebrem nactus est, editis *Commentariis de statu religionis et reipublicae Carolo Quinto Caesare*. Johannis Sturmii amicus erat, de quo supra jam vidimus. — Balduinus postea etiam nobis occurret.

²⁾ Varias hujus rei causas commemorat Withof o. l. p. 86 seqq. Saeculo demum post Academia Duisburgi instituta est. Errat igitur vehementer Hamelmannus, quum scribit (I. p. 179): "Georgius Cassander... aliquandiu in nova Principis Juliaci Academia Dusbergiana docuit."

³⁾ *Cent. Epist.* 1.

epistolae ejus satis probant ¹⁾. Ad utrumque igitur virum Centuriatorum litterae pertinebant. In prioribus petunt scriptores ²⁾, ut tales sibi libri usui dentur, quos alibi frustra quaesiverint; quod si fieri nequeat, ut juveni tabellario potestas fiat describendi, quae idonea ei videantur. „Nos,” ajunt, „de aliquo gratitudinis munere cogitabimus.” Ante fere mensis spatium, die 10mi Julii, ejusdem argumenti epistolam C. et G. acceperant a Flacio Illyrico ³⁾, sed non apparet eos Centuriatorum conatus adjuvisse. Nec est quod miremur. Etenim centuriae illae quantacunque diligentia et veritatis amore compositae, ob polemicum orationis colorem nec Cassandro neque ejus amico gratae acceptaeque esse potuerunt ⁴⁾.

Inter opera, in hacce periodo ab eo edita, quaeque antiquitatis ecclesiasticae notitiam ejus produnt, primo loco censi merentur „*Hymni Ecclesiastici*”, praesertim

¹⁾ Vid. praec ceteris *Epist.* 113 (*Opp.* p. 1221) et *Cent. Epist.* 54. Nunc vocat Cornelium „patronum” (*Ep.* 22), nunc „Maecenatem” suum (*Ep.* 68); et utriusque eorum amici eum dicunt „Achatem” (*Cent. Epist.* 2. Conf. Virgil. *Aeneid.* I. 912), vel eum, qui Cassandro „alter ipse” sit (*Cent. Epist.* 48).

²⁾ „Joan. Wigandus, pastor Magdeburg., Martinus Copus, Medicinae Doctor, Ebelinck Alman, Burgher in Magdeburg, Mattheus Judex.” (*Cent. Epist.* 4).

³⁾ *Cent. Epist.* 13. Scribit ille: „Nos.. bona fide pollicemur, si quid conatum hunc promoveritis, effecturos nos, ut primo quoque tempore... pecuniariam compensationem, vestris laboribus dignam, recipiatis.”

⁴⁾ Friedrich I. I. p. 11 etiam ex hac Centuriatorum rogatione officii judicat, ut Cassander antea Protestantium sententiis addictior fuisset. Quod licet verum esset, jure tamen expectaremus, anno 1557 moderatam ejus sentiendi rationem satis superque cognitam fuisse. Neque igitur, quod C. sociam haberent, sed quod ejus litterarum ecclesiasticarum notitiam non ignorabant, auxilium ab eo petebant.

qui Ambrosiani dicuntur" ¹⁾ etc. Fasciculus est hymnorum Ecclesiasticorum, a Cassandro magna cura revisorum et anno 1556 editorum, qui plerumque ab antiquioribus poëtis compositi sunt (e. g. ab Ambrosio, Paulo diacono, Paulino Aquilegiensi, Beda e. a.), sed quorum nonnulli posterioris sunt aetatis (v. c. Jacobi Meieri, Ludovici Vivis, Georgii Fabricii aliorumque). Dedicati sunt Casparo à Nydbruck „L. L. Doct. et Reg. Majest. Romanor. et Reg. Dignit. Bohemor. Consiliario." Quid autem incitaverit Cassandrum ad hunc laborem suscipiendum, ipse nobis narrat, scribens: „animum illud mihi inprimis addidit, quod ab ipsa pueritia caeremoniis ecclesiasticis, maxime in quibus ordinis et decori vestigia servantur, mirifice semper sim oblectatus, *inprimis autem psalmodiis et hymnologiiis.* Neque ulla unquam mihi musica gratior et jucundior accidere potuit, quam psalmorem et hymnorum aperta, distincta, apteque modulata decantatio." Maximum autem pretium acquirit haec editio ex aditis „Scholiis" Cassandri, „in quibus studium nostrum fuit, locutiones aliquot patrum, et ritus ecclesiasticos in vulgus minus notos, explicare; reliqua grammaticis permisimus." Haec Scholia sunt, ob quae doctores nonnulli catholici multas Cassandro molestias exhibuerunt, ut novimus ex epistolis anno 1559 ab ipso, et amico Joanne Molinaeo (van der Meulen) Gandavensi, mutuo scriptis. Molinaeus ille, regius decretorum professor, ac Decanus in D. Petri Lovanii ²⁾, ejusmodi erat indolis, ut, ipse quamvis fidei

¹⁾ *Opp. C.* p. 147—299.

²⁾ Scribit ei Cassander *Epist.* 14 (p. 1094): „Literae tuae.. me.. non parum recrearunt, dum et veteris consuetudinis memoriam renovarint, et pristinam tuam erga me benevolentiam declararint."

catholicae addictus, nihilominus propter eruditionem ac pietatem, Cassandro debitum honorem praestaret, et in jure canonico exercendo non raro ejus auxilio usus sit ¹⁾. Ab eo autem Cassander audiverat, Scholia sua a theologis Lovaniensibus in librorum prohibitorum classem relata esse, quod sententias in illis deprehendissent, quae si minus stricto sensu *haereticae*, at imperitis offensionis occasionem praebere possent ²⁾. Cassander non intelligit, quid theologos illos ad tam ignominiosum factum movere potuerit; eo minus, quod duo theologi Lovanienses, locis culpatis lectis et ratione reddita, ipsi ei assenserant, et probabiliter dicta esse confossi erant. Pergratum igitur faciet M., si causas, quae censores istos ad Cassandri scholia notanda adduxerint, ad ipsum transmittat. „Mutare non gravabor, si quid merito offensionem parere intellexerim ³⁾.” —

¹⁾ Valerio Andr. auctore (o. l. p. 541), edidit M. canonum collectionem s. *decretum Ivonis*, episcopi Carnotensis, aut saltem quod huic episcopo tribuitur. Cassandrum varias editiones optime novisse, quin exemplar Molinaeo utendum misisse, statuendum est ex *Epist.* 12, 15. 25. coll. Molinaei epist. apud Burmannum, *Syll. Epist.* II: p. 249 seqq.

²⁾ Universitas Lovaniensis semper operam collocavit in omnibus his libris arcendis et prohibendis, quos vel minime ecclesiae utilitati noxios ducret. Jam anno 1540 ad hunc finem edictum promulgavit, et anno 1546, Caroli Vti mandato, indicem librorum haereticorum et de haeresi suspectorum confecit, qui primus censetur catalogus, publicâ auctoritate editus. Mox tamen, „quum plures quotidie prodirent haeretica labe conspersi libri,” fusiorem indicem facultas theologiae concinnavit, qui anno 1550 in lucem missus, anno 1558 Lovanii gallice fuit recusus. In hac, ut videtur, altera editione, Cassandri „*Hymni*” annotati sunt. Catalogus anni 1550 invenitur apud van Loon, o. l. I: col. 78, sub titulo: „De Catalogen oft Inventarissen van den quaden verboden Boucken, ende van andere goede, die men den jongen Scholieren leeren magh, naer advys der Universiteyt van Loven.” — Cf. de Ram, *de laudibus* etc. p. 58 seqq.

³⁾ *Epist.* 15 (*Opp.* p. 1037.)

Ex epistola Molinaei ad hoc respondentis ¹⁾ apparet, unum ex Lovaniensibus professoribus, ceteroquin erga Cassandrum haud male affectum ²⁾, hoc inter alia in eo improbandum habere, quod patriam non repeteret, quodque eas regiones praeferret, in quibus quidvis sentiendi opinandique libertas major esset. Quod tamen argumentum Cassandro non satis validum videtur. „Quam multi,” inquit, „alienas provincias, easque remotissimas, non modo propinquas, certis de causis incolunt? inter quas non postrema est tucndae valetudinis; *ejus imprimis studiosis et valetudinariis, in quo ego sum numero, habenda est cura.* Deinde ut major sit hic sentiendi opinandique libertas, ea... constantes, et pietatis studio serio incitatos... a soliditate catholicae fidei dimovere non poterunt. Itaque de me profiteor, in his aetate nostra obortis undique vehementius procellis medium cursum... semper retinuisse... Postremo et illud fateor, me hanc non quidem sentiendi et opinandi, sed legendi et cognoscendi quidvis... occasionem libenter amplecti. Video enim hoc genus studii hac aetate in primis utile et necessarium: nam et haereticorum et perverse sentientium prava dogmata confutari non possunt, nisi ante cognoscantur, et argumentorum seu potius sophismatum et cavillationum, quibus heterodoxi utuntur, cognitio ad Sacrarum literarum et ecclesiae catholicae verum et germanum sensum inquirendum maximum incitamentum et calcar addit, sed de his nunc satis.”—

¹⁾ Apud Burmannum II, p. 246.

²⁾ Jodocum Ravesteynium Tiletanum (van Tiel), strenuum doctrinae Romano-catholicae ecclesiae propugnatorem. Fuit inter colloquutores in colloquio, anno 1557 Wormatiae habito. Vid. de Ram, *Franc. Sonni ad Vigilium Zaichemum Epistolae* (Bruxell. 1850) p. 29, et Valer. Andr. *Biblioth.* p. 594.

Tandem aliquando, anno 1560, Cassander accepit censuram jam diu desideratam, Molinaei observationibus instructam; unde perspicuum fit, hunc in universum cum caeteris theologis consensisse ¹⁾). Gravamina autem haec sunt:

1. Cassander *libros*, qui dicuntur *Carolinos*, de imaginum veneratione, *insignes* vocarat (p. 155 in Scholiis ad Hymnos). — Molinaeus non diffitetur, tale elogium hereseos crimen vix effugere posse, nisi forte vocabulum *insignis* eandem habeat significationem, ac in locutionibus *insignis latro*, *insignis nebulo*, cet. Melius certe fuisset, ambiguam vocem omitti.

2. Dixerat Cassander (p. 218): „quod confirmatio sanguinis in solemnem et publicam Eucharistiae administrationem statim et semper communicationem corporis consequatur,” et porro: „item confirmatio sanguinis pro complemento communionis habita fuit, et sine ea non iudicabatur plena communio.” — Molinaeus Sacrae Coenae administrationem *sub utraque specie* minime necessariam habet, et contendit, omni tempore, quam non tam frequenter, communionem *sub altera specie* locum obtinuisse.

3. Formulam precationis *Omnes Sancti orate pro me* ita interpretatus erat, ac si merum desiderium, non ipsam *orationem* indicaret, adeoque perinde valeret, ac: „Utinam omnes Sancti Deum orent pro me! quam velim ut omnes Sancti Deum orent pro me!” (p. 242.)

4. Contenderat bona opera non causam esse, sed iudicium vitae aeternae, et in eloquio „propter merita datur vita aeterna” particulam *propter* effectum indicare, non causam (p. 262). — Culpatis illis sententiis vel

¹⁾ Burman, II. p. 242.

omissis vel mutatis, Molinaeus amicum „ab aemulorum et sycophantarum morsibus” vindicare poterit.

Cassander, ut sponte intelligitur, criminibus illis respondit. Legimus responsum in Epist. 19, ad Molinaeum ¹⁾. Novum ei et mirum videtur, tanta difficultate et fatigatione vel inspectionem obtineri potuisse; cum non modo potenti Cassandro ea censura communicari, sed etiam ultro, idque ante publicam notationem, exhiberi debuisset. Nihil praeterea in iis, quae scripserisset, acerbiora reprehensione, sed fortassis amica admonitione dignum esse; „nil enim in his a me falso vel malitiose, licet minus considerate, et apte, dictum est.” Quod autem ad Imum attinet: quatuor illos libros adversus Synodum Graecorum de adorandis imaginibus Niceae habitam, *insignes* appellavit, primum quod illustrissimi regis Caroli nomine, assentiente universa Synodo, cui et Legati Romani Pontificis interessent, conscripti et editi sint; deinde quod multis exemplis probare possit et revera probet, eos libellos in pretio et honore semper habitos fuisse.

Ad 2dum: Quid hic offendat, non videt, nam ipse „ordo Romanus,” qui publicam et solemnem hujus Sacramenti administrationem describit, aperte tradit „eos, quos Pontifex, Episcopi, vel Presbyteri communicaverint corpore Dominico, statim ab Archidiacono vel Diaconis sanguine Dominico confirmatos fuisse. Quid, quod ex omnibus veterum patrum ecclesiasticorum scriptis apparet, communionem *sub utraque specie* semper usitatam fuisse, imo Leonis et Gelasii Pontificum tempore necessariam habitam. Quo fit, ut Paschasius et Algerus, quum de legitima et solemni communionem lo-

¹⁾ *Opp.* p. 1102 seqq.

quaantur, subinde hoc dictum Augustini producant: „nec
 caro sine sanguine, nec sanguis sine carne rite com-
 municatur.” Quod autem, metu effusionis, populi mul-
 titudini corpus in sanguinem intinctum porrigi solebat,
 id Cassandri sententiam probat: „quorsum enim atti-
 nuisset intingere, si alterum sufficere putavissent?”
 Quod additur a Molinaeo, se non admissurum, com-
 munionem illam *sub utraque specie* absolute necessariam
 fuisse, ad scholion improbatum non pertinet. „Ego
 enim de absoluta necessitate nihil locutus sum, de or-
 dinaria et solempni communionem loquor, quam certe pro
 aliquo tempore negari non potest necessariam habitam
 fuisse.” Scribit porro M. solere se comprobare usum
 alterius speciei, ex eo, quod Christiani olim hostiam
 consecratam paratam habuisse, iterque ingressuri
 secum detulisse legantur. „Veniam mihi dabis,” res-
 pondet C., „vir eruditissime, si hęc aliquid humani
 te admisisse commonstrem. Nam D. Ruardus [Tapper],
 vir in hac palaestra exercitatissimus et veteranus, ex
 iisdem ipsis locis, quibus tu alterius speciei communi-
 onem astruere niteris, communionem calicis omnibus
 communem et usitatam fuisse confirmat. Scribit enim,
 ex historia de Satyro, fratre Ambrosii, et sermone
 Cypriani de lapsis, videri, quod illis temporibus san-
 guinem Domini ex calice omnes bibebant, et quod
 corpus Domini eis in manus dabatur, ut vel statim
 sumerent, vel secum portarent domum, ibique sume-
 rent, ut per temporum intervalla biberent ex calice
 sanguinem Domini, et corpus Christi manducarent.
 Ita vir ille de consuetudine illius aetatis prudenter
 iudicavit.” Caeterum observandum est, propositum
 Cassandri non fuisse, „utriusque vel alterius speciei
 communionem vel probare vel improbare, sed occasione

sumpta ex proposito loco veterem consuetudinem, et doctorum illius aetatis sententiam explicare." Quod si omnes libri improbandi sunt, qui consuetudinem utriusque speciei sumendae commemorant, aut eam aliquo modo commendare videntur, ipsi quoque ecclesiastici libri, in quibus hymni sunt ecclesiastici, damnandi videntur. Censet autem M. calicis usum non esse concedendum laicis; sed alii insignes et exercitati theologi aliter sentiunt, e. g. Johannes Gropperus et Johannes Eckius.

Ad 3um: Ut formulam: „Omnes Sancti, orate pro me" suo modo explicaret, hoc induxit Cassandrum, „quod de hac quaestione, an, quatenus, et quomodo sancti cognoscant et exaudiant singulorum eos interpellantium preces, nil apud veteres neque recentiores definitum, sed probabiliter tantum disputatum videret."

Ad 4tum: Quod de hac quaestione dixerat C., item a scriptoribus ecclesiasticis probatur; v. c. a Thoma Bradwardino, Bernardo, Petro de Alliaco et Durando.

Concludit epistolam his verbis: „Haec quidem pro tempore de quatuor hisce capitibus dicta sint, non alia de causa, quam ut modeste, simpliciter et vere meam sententiam explicem, quam explicationem sive mitigationem gravibus eruditisque viris satisfacturam confido. Quod si alicubi per infirmitatem lapsus sum, libenter admoneri et corrigi, doctiores audire et melioribus rationibus cedere paratus sum, modo ea admonitio et correctio ex charitate cum mansuetudine juncta procedat. Ad haec si qua in his Scholiis sint, quae fortassis non satis opportune dicta istic legi non expediat, facile illa omitti patiar. A mutatione vero et improbatione totius libelli vellem temperatum fuisset, quod cum jam factum infectum fieri non possit, certe in futurum id

facile corrigi poterit, quod cum postulo, rem aequissimam postulare videor."

Cassandri desiderium, censorum Lovaniensium iudicium de refutatione sua explorandi, non subito expletum est. Iterum iterumque hac de re ad Molinaeum scripsit; sed frustra ¹⁾. Venit tandem responsum, quod ejusmodi quidem erat, ut Cassandri exspectationi satisfacere posset. Tiletanus solus pauca refutationis loco annotaverat: Hunnaeus et alius theologus, qui dicitur „N. Lovanius," se consentire testati erant ²⁾, et Molinaeus ipse ingenue fatetur: „Et sane, universa epistola mihi videbatur tantopere et autoritate et ratione munita, ut mordendi nullus relictus foret locus." Tantum igitur aberat, ut censura Lovaniensis mutuam eorum amicitiam turbaret, ut ab illo tempore etiam magis magisque accresceret.

Attamen ita fuerat inexpectata et contumeliosa censura, ut Cassandri animum magno dolore afficeret. Quod statuere licet ex praefatione operis, anno 1558 ab eo editi, cui titulus est: „*Liturgica* de ritu et ordine Dominicæ coenae celebrandæ" ³⁾ cet. Scribit enim, primo sibi propositum non fuisse, liturgica illa scripta in lucem prodere, „donec me nonnulli amici et viri boni ad publicationem hujus opusculi incitarunt, nonnihil, ut fateor, renitentem, ut qui varietatem et malignitatem iudiciorum hac nostra aetate utcunque cognitam habeam" ⁴⁾; et consulto monet

¹⁾ Vid. *Epist.* 23. 25. 29.

²⁾ Scribit tamen M. „Equidem iis, quos duiores paulo intellexi esse tibi, nihil unquam communicavi" (Burman, II: p. 252).

³⁾ *Opp.* p. 1—88.

⁴⁾ *Opp.* p. 4 — Majorem etiam indignationem ac dolorem significant verba, quae hic sequuntur (p. 5), quibus de eorum injuriis queritur.

lectores se non iudicis vel disceptatoris ac ne consultoris quidem, sed indicis tantum et narratoris personam sibi sumpsisse ¹⁾. Ad hanc studiorum rationem persequendam illum, praeter insitam naturae vim ²⁾, etiam temporum, in quae inciderat, conditio invitaverat; „cum quae hodie totum fere Christianum orbem perturbant controversiae, maxime in rituum externorum,

„qui vanissimis suspicionibus (quas aut ipsi sibi ex inanibus conjecturis finxerunt, aut ex levium aut pravorum hominum delationibus conceperunt), adducti, bonis viris, quorum nondum animum perspectum habent, obtrectare etiam apud graves et in dignitate constitutos viros non verentur: quibus hoc unum imprecor, ut charitatis officii exhibendis eam potius, cujus nomen usurpant, imitentur, quam ut falsis calumniis adversus insontes struendis, professione sua indigna admittere videantur.”

¹⁾ Conferantur, quae scribit *Epist.* 11 (p. 1020): „Prudentum autem virorum ecclesisticae puritatis studiosorum erit hinc cognoscere, quid in praesenti forma Missae Romanae desiderari videatur; et qua ratione ad exemplar priscae consuetudinis pleraque constitui possint. *Ego vero consulto nil de meo adjeci*, ne calumniandi materiam improbis hominibus praebeam.” Quid, quod etiam Bonaventura Vulcanius (de Smit), Cassandri amicus (vid. hujus *Epist.* 13 et conf. H. Q. Janssen, o. l. II: p. 238), in regulis, commendationis loco, „Liturgicis” praefixis, diserte mere *historicam* hujus operis indolem urget:

„At ne te lateat, benigne Lector,
Auctorem nihil hoc suo libello
Censoris vice reprobare velle:
Sed tantum historiam rudem sequutum
E scriptoribus optimis petitam,
Liquisse arbitrium piis bonisque.
Quorum fretus ope et bonignitate,
De Momi invidia parum laborat.

²⁾ Parvi ducebat Scholasticorum spinosas et subtiles quaestiones. Initio praefationis vel „epistolae ad lectorem,” „non quidem” (inquit), „in id studii genus [sc. studium impendo], quod argutias et subtilitates quaestionum tractat, aut latentia mysteria curiose rimatur, in quo ingenii acumen maxime cernitur.” Observari quoque meretur, eam, in iis etiam locis, ubi non potest non dogmaticas quaestiones tractare (e. g. in *Commentario de duabus in Olo naturis et unica hypostasi*), pro maxima quidem parte historica via incedere.

et ceremoniarum ad Dei cultum exteriorem pertinentium, diversitate consistant." Est igitur opus illud *codex* quidam *liturgicus*: liturgiarum series, chronologico ordine dispositarum, ita ut capite primo ritus describantur, quibus Judaei celebrioribus festis uti solebant. Nihil autem in hoc opere ipsi Cassandro tribuendum est, nisi breves annotationes, quibus vocabula quaedam antiquata, in liturgiis occurrentia, explicantur, ita tamen ut a *dogmaticis* declarationibus prorsus absteat ¹⁾. Ex epistolis ejus apparet, ritibus illis antiquis quantopere delectaretur, quamque sedulam operam adhiberet, ut rarissimas quasque liturgias nancisceretur ²⁾. Haec collectio anno 1561 aucta est tribus libris „*ordinis Romani: de officio Missae*" quibus, appendicis loco, addita est „*Expositio quarundam vocum ecclesiasticarum, quae in his libellis passim occurrunt, vulgo minus notarum, potissimum ex Scholiis D. Petri episcopi Urbevetani, Juris Canon. Dr. in vitas Pontif. Damasi*" ³⁾.

Ad seriem operum ecclesiasticorum, a Cassandro editorum, pertinet etiam fasciculus precum ecclesiasticarum, quas anno 1560 praelo tradidit ⁴⁾. Adolpho

¹⁾ Sic explicat v. c. vocabula *gratiarum actio* (p. 12) — *agape* (p. 14) — *liturgia* (p. 15) — *collectam et Dominicum agere* (p. 33) — *Prior scholae* (p. 47) — *chorus* (*Ibid.*), alia.

²⁾ Vid. *Epist.* 4. 14. 15. 16. 23.

³⁾ *Opp.* C. p. 89—145. — Postea editus est *ordo Romanus* ab Hittorpio (Colon. 1568) et Ferrario (Romae 1591 et Parisiis 1610). Mabillonius collectionem 15 ordinum Romanorum, commentario instructam, edidit in *Mus. Ital.* II.

⁴⁾ *Preces ecclesiasticae, quae COLLECTAE vulgo dicuntur, ex variis libris ecclesiasticorum officiorum diligenter conquisitae* etc. *Opp.* p. 301—448. — Vox *collecta* (gr. *σύναξις*), in veteri ecclesiastica lingua, v. c. apud Tertullianum et Cyprianum, de toto Missae celebrandae officio, adhi-

Baersio, amici ac patroni, cancellarii Clivensis, filio dedicatae sunt epistolâ, qua de precum illarum antiquarum pretio, et de verae orationis notis characteristicis, lectu dignissima nobiscum communicat. In fine collectionis invenimus Cassandri ipsius „Precationem quotidianam,” quae breviori forma etiam occurrit in *Hymnis Ecclesiasticis*; quam orationem, quod scriptoris prodit animum pium ac pacis ecclesiae studiosum, totam hîc describendam iudico:

Omnipotens aeternae Deus, qui legibus aequis,
 Et coelum et terras et tartara saeva coërces:
 Qui, quamvis celsa sis majestate verendus,
 Vota tamen cineris non aspernare precantis,
 Da precor ut tandem discordia noxia cesset,
 Pacotque tuum nomen celebretur in orbe.
 Regum corda, tuo nutu quae subdita parent,
 Flecte, ut sancta tui extendant pomceria regni.
 Obsita quae nimium, heu! multis ecclesia squalet
 Sordibus, hanc prisco purgatam redde nitore,
 Afflectamque tuere, premit quam perfidus hostis,
 Conaturque tuum in terris extinguere nomen.
 Fac, ut quotquot adhuc dispersi in montibus errant
 Agniculi, ad tutum coeant, pie Pastor, ovile.
 Arce pestiferum teneris a floribus austrum,
 Et saevos liquidis depelle a fontibus apros.
 Da mihi catholicae fidei fundamine niti:

betur; in posterioribus scriptis, sensu strictiori, de oratione, quae in S. Coena celebranda, partis cujusdam S. Scripturae praelectioni (*Epistel* q. d.), antecedere solebat (Vid. Aschbach, *Kirchenlexikon*, in vocibus *Collecta* et *Messliturgie*). Latissimam vim Cassander vocabulo tribuit, scribens: „Mihî non absurde dici posse videtur *Collectas*, sive, quod idem valet, *collectiones* vocatas omnes illas orationes, quae ab episcopo vel presbytero, non modo in celebratione sacrae *Communionis*, sed in quavis *synaxi*, etiam *matutina* et *vespertina* super populo vel coetu aliquo collecto recitabantur.” (p. 308.)

Neve ullus, quamvis blandus, me hinc abstrahat error,
 Daque tui verbi purum comprehendere sensum;
 Et, si quid forte effugiat, ne ducito culpa.
 Mandatis parere tuis sit prompta voluntas,
 Et, sicubi fragilis peccat, dimitte benignus.
 Da precor, ut vigeat mens sana in corpore sano:
 Haec ut juncta tuae pariter sint organa laudis.
 Suffice, quod vitae huic miserae exiguaeque trahendae
 Sit satis, adde animum contentum vivere parvo.
 Fac praesens acque duret constantia mentis,
 Ne premar adversis, nimium tollarve secundis:
 Sollicitis ne jactetur mens anxia curis.
 In te, cui cura est nostri, segura recumbat.
 Ultima quae cunctis finita est linea rebus
 Sit mihi mors mortis limes, sit janua vitae,
 Extremoque die, judex quem sederit aequus,
 Inter foelices dextrum me collocet agnos.
 Haec pia vota pater per Christum suscipe natum,
 Qui tecum sancto cum flamine regnat in aevum ¹⁾.

AMEN.

¹⁾ Valde dubito, num vir clariss. P. Hofman Peerlkamp in opere *De vita, doctrina et facultate Nederlandorum, qui carmina latina composuerunt*, tam severe de Cassandri poësi judicasset, si hinc laudatum poëma cognitum ei fuisset. Si quid mei judicii est, multis nominibus „Precatio quotidiana” laudari meretur; quanquam in argumenti dispositione Cassander magnam partem imitatus esse videtur Eugenium, Tolletanae sedis episcopum, cujus carmen quoddam, sub *Orationis* titulo, invenitur in *Cass. Opp.* p. 442 seqq. Nihil avertit vir clariss. e Cassandri poematis, nisi brevius epigramma in antiquitates Laurinorum et Goltzii (o. l. p. 73) de quo sic judicat: „Haec si ad vivum reseces, nihil sunt nisi aurium tinnitus. Et minime mihi placet, quod a significatione nominum Laurini et Goltzii (*Aurei*) abstinere non potuit.” Quod ad prius attinet, hujusmodi epigrammata plerumque ingenium magis quam cogitationem sapiunt, neque adeo in iis desiderandum, quod proprium iis non est. Quod idem valet de verborum lusu improbato: pertinet ille lusus ad hoc poeseos genus, cujus quasi *medullam* constituit. Et celebriorum poetarum (Vondellii v. c. nostri) Epigrammata tali verborum lusu designantur. — Caeterum arbitror, Cassandrum non satis poëmatum

Sic igitur hujus Periodi parte priore ad finem perducta, omnibus spero lectoribus persuasum fore, intra annos 1549 et 1561 Cassandri studia ac sententias mirum in modum mutata fuisse. Quod si hanc eandem partem *praeparatoriam* dixi, non ideo feci, quod per illud tempus sententiam ejus, de vera ecclesiae conditione et optimis restorationis mediis firmatam nondum fuisse putem, sed quod huc usque occasione caruerat aperte et plene de his disserendi. Multa scripserat, fateor; sed ad finem magis peculiarem, ad defendendam nimirum ecclesiae doctrinam adversus hunc illumve errorem, aut illustrandam unam alteramve quaestionem ecclesiasticam. Eo accessit, quod experientia eum jam docuerat, nihil fere quempiam, quantumvis modeste et pie, dicere posse, quin hereseos culpam sibi contraheret ¹⁾. Quibus omnibus factum est, ut nondum aperte sententias suas pervulgaret, et omnino observandum est, eum, tempore colloquii, anno 1557 Wormatiae habitum, illa in urbe commoratum quidem esse ²⁾, nec tamen ipsum disputationum participem fuisse; licet eodem jure inter Adjunctos collocutorum occupasset locum, quo e. g. ejus socius Georgius Wicelius ³⁾. Sed tandem, quum viri, summis honoribus reliquisset, ut de horum pretio judicium ferre possimus omnibus numeris absolutum.

¹⁾ In transitu etiam commemoro, non tantum *Hymnos Ecclesiasticos*, sed et *Liturgica et Preces ecclesiasticas* theologorum censura condemnatas fuisse. Vid. *Epist.* 23 ad Molinaeum et 34 ad Solinandum.

²⁾ Vid. *Epist.* 13 (*Opp.* p. 1092).

³⁾ Eventus hujus colloquii infelix, cujus causa erat Protestantium, imprimis hyper-Lutheranorum, intolerantia, ex historia satis notus est. Ad colloquii Wormatiensis historiam illustrandam maximè sunt momenti epistolae jam citatae Sonnii ad Viglium (ed. de Ram. *Epist.* 16—25). Sonnius, qui *Adjunctus Collocutorum* interfuit colloquio, quique etiam edidit *librum Actorum colloquii Wormatiensis* (de Ram o. l. p. XLIV).

bus conspicui, principes adeo, utramque Christianae societatis partem inter se reconciliandi, desiderium capere coepissent, et in Cassandrum, huic proposito perficiendo aptissimum virum oculos converterent; tum demum propria ipsius de ecclesia ejusque emendatione sententia, ratione docta ac certis principiis nixa, ab eo explicari et commendari coepit. Itaque anno 1561 ac deinde, omnes vires impendere videmus Cassandrum in studia et opera *irenico-practica*, nec dubito postremam ejus vitae partem caeteris graviolem vocare.

PARS ALTERA.

Quid Cassander pacis ecclesiae restaurandae causa egerit? (1561—1566).

Inter Cassandri amicos principem locum tenet Franciscus Balduinus, qui, anno 1520 Atrebatu natus, duas praesertim ob causas famam sibi conciliare valuit: ob claram nimirum, pro ea saltem aetate, juris scientiae notitiam, quacum ecclesiasticae antiquitatis studium conjungebat, et ob opinionum, ad religionem pertinentium, inconstantiam. Tam parum sani ac certi erat judicii, ut vel brevissima cum hominibus aliter sentientibus consuetudo efficere posset, ut ad aliam Christianorum societatem transiret, et, Genevae degens, cum Calvino, Parisiis autem, cum Romano-Catholicis faceret ¹⁾.

fieri aliter non potuit, quin ista Protestantium collocutorum dissensione maligne gauderet. Scribit (ep. 20): „Dissensio facta est, Clarissime Praeses, inter adversarios nostros, gravis sane, et (ut audimus) irreconciliabilis;” nec suppressere potest votum mere satanicum: „saxit omnipotens Deus ut accrescat magis ac magis!”

¹⁾ Quoties Balduinus religionem mutaverit, ostendit nobis locus, qui sequitur, Riveti (vid. P. Henry, *Das Leben Johann Calvins*, des

Minime igitur mirandum, levem inconstantemque virum a Protestantibus graviter saepe reprehensum, et Triapostatae vel Ecebolii nomen ei datum fuisse ¹⁾). Neque ipse quidem Cassander, quanticunque ceteroquin virum eruditum duceret, semper de eo benignum iudicium tulisse videtur; dicit enim alicubi, de Balduino agens: „cujus ego ingenium miror, institutum non intelligo. Certe multi boni viri *gravitatem* in eo desiderant, et ego quoque nonnihil habeo, quod in fide praestanda in eo requiram” ²⁾). Balduini tamen operâ, anno 1561 Cassander irenica sua consilia aperire coepit. Ille enim eo tempore in aula Gallica commorabatur, ubi etiam Antonii regis Navarrae filii educandi cura ei mandata erat. Circa idem tempus duae in civitate partes, Hugonistas dico et Catholicos atque in primis utriusque principes, tam hostili animo se invicem oppugnabant, ut atrocissimae caedes brevi metuendae essent. Qui, partium studio nondum abrepti, ecclesiae ac civitatis commoda propriis adhuc anteponebant, pa-

grossen Reformators, III. 2 p. 552, not. 3, cf. Bayle in *Vocabul. art. Baudouin*): „Ejectum te Balduino, et excommunicatum ab omnibus piis, quicumque in Gallia aut Germania nomen tuum audierunt, negare non potes. *Septies his viginti annis religionem mutasti. Non saepius fere serpentes pellem mutant.*” cet. Caeterum, pro illo quidem tempore, juris peritiâ eminuisse videtur, et Bituricis, Argentorati, Heidelbergae, Duaci tandem, multos allexit auditores. Quum in eo esset, ut una cum duce Andegavensi ad Poloniam iter faceret, ubi in Universitate Cracoviensi professorali munere functurus esset, mortuus est anno 1573.

¹⁾ Ecebolius sophistes erat saeculi 4ti, qui semel atque iterum religionem Christianam cum Ethnicorum cultu permutavit. Vid. Socrates, *Histor.* III. 161 (ed. August. Taurin. 1747). Cf. W. Moll, *Het kerkel. leven der Christenen gedurende de zes eerste eeuwen*, 2ae edit. I. p. 320.

²⁾ Opp. p. 1153.

cem et emendationem ecclesiae ante omnia promovere studebant; et colloquio, mense Septembri 1561 Possiaci habito, quamvis ceteroquin expectationi parum responderet, hoc sane effectum est, ut Calvinistis in causa religionis libertas certis limitibus circumscripta permetteretur ¹). In his viris, pacificationis et reconciliationis studiosis, recensendus etiam est rex Navarrae, generosae Johannaе Albretanae conjux, qui modo majoris fuisset animi vigoris ac constantiae, Reformationis causam strenue profecto egisset ²). Balduino in aula commorante, regis pacificationis studium, ut quisque facile intelligit, magis etiam invaluit, praesertim, postquam legerat Cassandri scriptum, a Balduino secum in Galliam ductum ³), cui titulus est: *De officio pii ac publicae*

¹) Notum est Bezae effatum de Sacra Coena, in colloquio illo pronuntiatum, "tantum distare ab Eucharistia Domini corpus, quantum caelum distat a nobis," quod memoratur etiam in epist. Ximenii ad Cassandrum (Burman, o. l. II. p. 257). Dixerit aliquis, Bezae, quum verba illa coram adversariis non retineret, imprudenter sane sese gessisse. At vero, quid cogitandum est de catholicis collocutoribus, qui, verbis auditis, tantum ostenderent stuporem et indignationem, quasi Bezae sententia prorsus nova inauditaque esset, nec plane cum Calvinii placitis conveniret? — Cassandrum autem non adeo benignam de Beza, neque de Calvino, opinionem fovisse, sponte intelligitur. Hunc vocat plerumque "antistitem" sive "dictatorem Lemannicum." (Opp. p. 1133, 1138). — De colloquio, Possiaci habito, vid. Hering, o. l. I. p. 365 seqq.

²) Cassander, ecclesiastica et politica Galliae conditione bene perspecta, narrat (*Epist.* 37, p. 1131), regionem illam tunc temporis in tres factiones divisam fuisse, quarum una ab adversariis *Papistarum* diceretur, cujus princeps esset Cardinalis Turnonius: altera *Hugonistarum*, vel *Calvinianorum* vel *novellorum*, principe Domino Condaeo, regis Navarrae fratre. "Tertio loco est ordo moderatorum et pacificatorum, qui et corrigenda nonnulla in ecclesia agnoscunt, neque tamen importunitatem novellorum (ut vocant) concionatorum approbant," cujus sententiae et animi esse etiam censet regem Navarrae.

³) Vid. hac de re Thuanus, *Histor. sui temporis*, vol. II. p. 38.

tranquillitatis vere amantis viri in hoc religionis dissidio"¹⁾). Auctoris nomine celato, quis esset dubitari potuit; et mox prodiit refutatio, a Calvino scripta, sub titulo: *Jo. Calvini responsio ad versipellem quendam mediatorem, qui pacificandi specie rectum Evangelii cursum in Gallia abrumpere molitus est. Gen. 1561*, qua Balduinum, quem auctorem putabat, acerrime increpat²⁾). Respondet ei Cassander satis ample in Apologia quadam, quae, cum modesta oratione tum vero eruditione, omnium laudibus digna est: *Traditionum veteris ecclesiae et sanctorum patrum defensio adversus Jo. Calvini importunas eriminationes*³⁾). Quodsi avemus scire, quem locum C. inter illius temporis moderatores teneret, necesse nobis est, non tantum ad tractatum Cassandri „de officio” etc., sed etiam ad Calvini refutationem atque illius defensionem animum attendere.

Post brevem quandam introductionem, qua et Protestantes et Catholicos iniquitatis accusat; illos, quod, odio vitiorum, etiam quae sana aut certe medicabilia erant, praecidenda et removenda contenderent, hos

¹⁾ *Opp. C.* p. 781—797.

²⁾ Quam Calvini acerbiter ut aliquatenus saltem defendamus, recordemur oportet, quam perfidiose Balduinus cum illo egisset; quod narrat nobis Henry, l. l. p. 549 seqq. (Quid Balduinus ab hac, Calvinus et Boza ab altera parte adversus se invicem scripserint, indicatum est ibid. p. 559 seqq). Nihilominus tamen hoc jure Calvino opprobrio ducitur, quod, quum compertum haberet, non Balduinum, sed Cassandrum esse auctorem, de hoc etiam ignominiose locutus est. Vid. *C. Opp.* p. 808. — Calvini autem „Responsionis” maxima pars invenitur in *Cass. Opp.* p. 799—807.

³⁾ *Opp.* p. 809—878. — In hac autem defensione ita Cassander rem instituit, ut ipse nomen suum reticeat, sed fictas personas, Modestum et Placidium, ad suam causam defendendam inter se colloquentes inducat.

vero, quod caeco quodam amore corporis etiam vitiata et morbida, tanquam sana et bene habentia, tuenda susciperent, — transit ad viam ostendendam, quâ ecclesiae emendationem et reconciliationem promoveri posse speret ¹⁾. Sunt autem, ait, iudices et arbitri in hoc difficillimo negotio consulendi; et nullum firmiter est et certius iudicium, quam ipsa Scriptura sacra „ejusque vera et sana intelligentia.” Neque enim nudus Scripturarum contextus, sed ipsarum Scripturarum intelligentia in quaestionibus religionis dijudicandis adhibenda est. „Primo, quia Apostoli doctrinam Christi, quae compendio his scriptis continetur, multo pluribus verbis populis, ad quos destinati erant, exposuerunt et explicarunt: tum etiam, quod haereses, quae brevi post Apostolorum decessum, extiterunt, cum pleraeque Scripturam ipsam, jam ab omnibus receptam, negare non possent, de intelligentia tantum Scripturae quaestionem movebant.” Quae quidem intelligentia petenda est a communi consensu et publico testimonio omnium ecclesiarum, quibus doctrinam a Christo acceptam, tanquam depositum quoddam, Apostoli commendarunt. Atque haec est, quae *catholica traditio et veritas non scripta* a nonnullis appellatur, nec quidquam aliud, nisi Scripturae ipsius explicatio et interpretatio: „ita ut non inepte dici posset, Scripturam esse implicatam quandam et obsignatam traditionem, traditionem vero esse Scripturam explicatam et resignatam.” Jure igitur Vincentius Lyrinensis, qui sub aetatem Augustini vixit, haec duo ad proffigandas haereses proponenda confirmat: *canonicam auctoritatem et catholicam traditionem*; non, quin canonica auctoritas sufficiat: sed

¹⁾ *Opp.* p. 782 seqq.

quod Scripturae verba in varias sententias ab impiis et imperitis hominibus distrahantur. „Quae quidem catholica traditio tribus notis deprehenditur, *antiquitate, universitate et consensione.*” Et hodie quoque ejus necessitas deprehenditur. „Nam, exempli causa, haec verba: In principio erat verbum, quin ab Apostolis scripta sint, nemo inficiatur... Nos autem ex perpetua hac traditione, et antiquissimorum patrum concordissimis scriptis, et veterum conciliorum gravissimis decretis, ad nos usque propagata, per λόγον.... personam et ὑπόστασιν significari credimus.” Idem accidit in locis Joa. 1, 14^a; Joa. 10, 30, et multis similibus.

Antequam progrediamur, videamus, quid Calvinus his objiciendum habeat ¹⁾. Fatetur, non ideo traditam esse Scripturam, ut aboleat prophetiae donum, ac tenendam esse Petri regulam: „non esse *privatae* interpretationis quae scripta sunt Dei oracula” (2 Petr. 1, 20.). Sed, ne quid momenti in se contineat Scriptura, Cassander, (quem studio *censorem* appellat Calvinus), postquam visus est aliquid Scripturae deferre, in ejus locum substituisse dicitur hominum placita, quae catholicae traditionis elogio insignit, ut veritas non scripta una valeat. Negat porro Calvinus, Scripturam tam difficilem intellectu et involucris tectam esse, ut ad ecclesiae auctoritatem confugiendum esset; et, ad probandam ejus perspicuitatem, ad locos vulgo allatos provocat ²⁾. Haud magis concedit, haereses, paulo post Apostolorum mortem exortas, non Scripturae ver-

¹⁾ *Opp. C.* p. 801.

²⁾ Deuterom. 30, 15; Ps. 119, 105; Ps. 19, 8; Jes. 45, 19; 2 Petr. 1, 19; 2 Tim. 3, 16; Joa 20, 31.

bis, sed sana intelligentia profligatas esse. Scilicet deitas Christi in solo concilii decreto fundata erit! Sed Joannis verba satis perspicua sunt: „ubi sermo vocatur *Deus*, haec locutio clare sonat *essentiam*; ubi autem additur, *fuisse apud Deum*, *hypostasis* palam monstratur.” Quod idem valet de aliis locis allatis.

Respondet Cassander ¹⁾, minime se Scripturae auctoritatem labefactasse. Quod enim dicitur „Scriptura et ejus vera intelligentia” perinde valet ac si dicas „Scriptura recte et sane intellecta.” „Intelligentia ergo Scripturae, quae ex traditione percipitur, non est ab ipsa Scriptura separanda, cum in ea contineatur, vel tanquam definitio in definito: vel tanquam conclusio in praemissis.” Quid, nonne ipse Christus adversus Sadduceos intelligentiam legis potius, quam ipsa verba attulit? (Matth. 22.) — Est autem hic duplex Scripturae locorum genus distinguendum. „Alia enim ex ipsis verbis manifestum sensum habent, de quibus nemo unquam controversiam movit, nisi qui ipsam Scripturam simpliciter negarit.... Alia sunt quorum sententia non statim cuivis tam obvia et plana est, quin in alienam et contrariam sententiam trahi possint.... Verum his opponitur una plana, certa, constansque sententia, quae, antiquitus ab ipsis Apostolis et eorum auditoribus tradita, ad nos usque manavit.” Neque tamen humanis decretis subjicitur divina Scriptura: „non enim cuivis homini, imo ne universali quidem concilio, talem intelligentiam comminisci licet. Eam enim tantummodo recipiendam constat, quae *antiquitus* (ut diximus), cum ipsa Scriptura, ab ipsis Apostolorum temporibus, est tradita”. ... „Neque

¹⁾ *Opp.* p. 820 sqq.

vero alia vis tribuitur traditioni in vera intelligentia a falsa discernenda, quam habeat in veris scripturis a falsis et adulterinis dignoscendis.... Et quod timemus, ne falsae traditiones pro veris et Apostolicis obtrudantur, facile his notis [Vincentianis] diligenter exploratis et adhibitis propulsatur." — Nihil igitur erat, quod ea, quae de intelligentia et traditione, Scripturae adjungenda, dicta essent, tam odiose a Calvino „sugillarentur;" cum eadem prope modum ab alterius partis ducibus proferantur (a Bucero v. c.). Sed ipsius Calvinus verba in promptu sunt, qui *adversus Pighium de lib. arbitrio* scripsit: „non difficulter inter se et Pighium in hac de traditionibus contentione convenire posse, si modo ecclesiae traditionem ex certo et perpetuo sanctorum et orthodoxorum consensu demonstraret, atque iis simpliciter et candide ad veram et germanam Ecclesiae doctrinam comprobendam uteretur." Nihil aliud Cassandro propositum fuit; et, quod addit Calvinus: „nunc si ex privato paucorum consensu communem ecclesiae consensum facere velit Pighius, non recipiam," in eo quoque consentit ¹⁾. Quamvis autem testimonia de perspicuitate et certitudine Scripturarum, valere dicat, quum de praeceptis piae vitae verique cultus sermo est, perhibet tamen etiam, esse locos, in quibus mysteria salutis explicentur, qui, non aequalibus quidem, Christum vel Apostolos audientibus, sed posteris, explicationem et interpretationem requirant; quod idem jam Petrus de Pauli scriptis affirmet (2 Petr. 3, 16.) „Quod si simpliciter omnia, quae ad fidem pertinent,

¹⁾ Paulo post (p. 826) locum affert Melanthonis, quo hic etiam, ad mentes confirmandas, *consensum veritatis* plurimum conducere ait.

tam manifesta et obvia sunt, ut nullius prorsus interpretationis indigeant, qui fit quaeso ut hodie de gravissimis articulis, et quos ad religionis puritatem pertinere putant, tantopere decertetur, idque ab iis, qui utrinque et Scripturae testimonia producunt, atque inter prima dogmata hanc Scripturae claritatem et certitudinem ponunt?" Porro exempla affert Calvinus, quibus ostendere nititur, non omnium controversiarum explicationem ex vetustis scriptoribus peti posse; et affirmat ex praecipuis fidei nostrae capitibus, tria haec non minima, *De naturae nostrae corruptione, gratuita justificatione et de sacerdotio Christi*, tam obscure ab illis attingi, ut nihil inde certi elici possit. At vero, ut huic thesi occurratur, provocat Cassander ad epistolam Leonis, urbis Romae episcopi, ad Leonem Augustum, ex qua postquam verba ad rem pertinentia produxit, „obsecro te,” inquit, „aequissime lector, quid de hisce praecipuis fidei capitibus, in quibus naturae humanae per Christum mediatorem instauratio continetur, clarius, certius et religiosius dici potuit?" Quod si adversarius Leone, interprete et tanquam legato antiquitatis, contentus non est, ex ipsa antiquitate adducit Irenaeum, ejus in scriptis „doctrina haec de corruptione nostrae naturae et salute per Christum restituta, non obscure explicatur,” quod probat Cassander ex Lib. III, c. 19—22; IV, 13; V, 77. Nec tamen inficiatur „controversiam quoque hodie incidere posse, de qua in scriptis veterum dilucidior explicatio desideretur.... Sed contra negari non potest, hodie quaestiones, easque non leves, excitatas, in quibus explicandis praecipuum ex perpetuo hoc consensu et universali ecclesiae traditione momentum accedit,” quod in aliis valet de infantium baptismo.

Vidimus igitur hucusque, quid Cassander primis illis Calvini objectionibus opponendum habuerit. Jam vero redeamus ad illius scriptum. Postquam in praecedentibus in universum constituit normam, ad quam varias controversias dijudicari velit, regulas quasdam proponit, quibus sententiam suam magis illustret ¹⁾. Hae sunt:

„1. Eam doctrinam veram et catholicam habendam esse judico, quae Sacris litteris est expressa.

2. Quae ex mente et intelligentia earundem litterarum ab ipsis usque Apostolorum temporibus est tradita, et per successionem ad nos usque derivata, quarum utramque pari fidei integritate amplectendam duco.”

Rogat hic Calvinus ²⁾: „Ubi ergo illud Pauli, fidem ex auditu esse, auditum ex verbo Dei?” (Rom. 10, 17). Primum inter illos conveniat, quid sit verbum Dei? Respondebit censor, „aliud esse scriptum, aliud non scriptum,” quod verbum non scriptum tribus rursus notis deprehenditur „antiquitate, universitate et consensione.” Sed nihili est ista distinctio. „Quid enim est universitas et consensio, nisi universalis consensus? quia si pars tantum consentiat, nihil ad traditionem ecclesiae.” Et plures etiam quaestiones oriuntur: sufficientne unaquaeque ex notis? estne in sola antiquitate acquiescendum, an tres notas simul connexas esse oportet? quaenam est vetustas, cujus decretis parendum sit? Procul dubio „nobis insulsas naenias jactabit censor, quae sub nomine Ignatii, Clementis, Lini et similium circumferuntur.” Miratur igitur Calvinus, Cassandrum lucem, quae refulgeat in Scripturae simplicitate, ex confusa densaque priscorum interpretum

¹⁾ p. 783 seqq.

²⁾ p. 802.

caligine peti jubere. „Haec fuit origo Cabalae, quae Judaeos fascinavit. Hinc prodiit Pharisaeorum secta.... Ex eadem lacuna emersit Papatus: nec alia fultura nititur Mahometis religio. Quibus exemplis satis superque monemur, quam exitiale sit, vel tantillum a puro et genuino Dei verbo deflectere.”

Cassander in responsione saepe repetendum dicit¹⁾, verbum non scriptum non esse aliud, h. e. diversum et alienum a scripto; sed ideo tantum non scriptum dici, quod scripto non expressum sit. Quid igitur causae est, cur tantopere hoc verbum non scriptum metuatur, „cum pleraque omnia, quae ad hoc genus pertinent, jam olim.... priscorum patrum monumentis et primariorum conciliorum decretis, *quibus ipsi quoque auctoritatem se deferre profitentur*, satis luculente exposita sint? Neque enim conciliorum propositum fuit, novum Dei verbum cudere, sed acceptum a majoribus adversus haereticos illud impugnantem vindicare.” Quae Calvinus adversus illas notas Vincentianas profert, parvi momenti sunt. „Esto, nihil sit aliud universitas et consensus quam universalis consensus, an ideo rei explicandae causa separatim poni non potuerunt?” Sed praeterea Vincentii mentem, atque adeo rem ipsam non satis observasse videtur. „Nam haec consensus, ... non ad universitatem tantum, sed etiam ad antiquitatem referenda est, ut dicendum sit: Antiqua et universalis consensus, sive: Universitas et antiquitatis consensus,” sive, ut in *com-munitorio pro catholicae fidei antiquitate et universitate* loquitur: „Magnopere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omni-*

¹⁾ p. 839 seqq.

bus creditum est: hoc est etenim vere proprieque catholicum..... Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem." Nec Vincentius solus hanc viam et rationem commonstravit, sed alii etiam insignes in ecclesia viri; in quibus Tertullianus (*de haeret. praescript.*) Basilius (*de Spir. Sancto*), et Augustinus (*adversus Manichaeos*). — Falso autem suspicatur adversarius Cassandrum ex eorum esse numero, „qui ambiguis, falsis et supposititiis scriptis nitantur. Quamvis enim praestantissimorum quorundam et antiquissimorum monumenta aliqua interierint, tamen adhuc satis multa tanquam e naufragio vel incendio reliqua sunt, ex quibus veritatis testimonia sumi possunt." Haud majoris ingenuitatis et candoris est, quum Judaeos effascinos, Pharisaeos et Mahumetanos Papatui socios adjungit, „quod fortassis ferri poterat, si Papatui nomen ad eos tantum, qui dignitatis vel questus sui causa crassos et manifestarios abusus praetextu Romani Pontificis defensos et confirmatos volunt, omnemque, quod in se est, ecclesiae instaurationem impediunt, astringeret." Sed etiam quae de Judaeorum Cabala dixit, longe secus sese habent. „Nam... vera Cabala nihil aliud erat, quam doctrina viva voce tradita, continens certissimam mysticorum quorundam divinae legis scriptorum interpretationem, quam oraculo divino Mosem suscepisse ac deinceps selectis senioribus tradidisse, eoque modo ad posterum propagatam existimant.... Illud quidem certum est, quicquid apud Pharisaeos rectae sententiae veraeque legis intelligentiae fuit, id omne ex hac Cabala vel traditione manasse." Quid, quod Christus ipse non raro ex hac Cabala Scripturam interpretatus est? (v. c. Matth. 22, 32. 41—45).

3. „Quae ab omnibus ecclesiis vel majore certe parte est recepta, et probabilibus rationibus e Sacris literis confirmata. Hanc quoque pio cuique suscipiendam existimo: quamvis ingeniosis hominibus rationes occurrere possint, quibus probabiliter refutetur.”

Et in hac regula, secundum Calvinum ¹⁾, omnia ambigue et subdole scripta sunt. „Paulo post in locum ecclesiae catholicae subrogabit Romanam sedem: cum ergo pertinaciter tota, quam vocat, occidentalis ecclesia defendat, quidquid impietatum merito detestamur, sublata erit tota inquirendi libertas.... At sententiam hanc prudenter temperat censor, dum probabilem confirmationem exigit o Sacris literis! Nugae: nulla enim tam crassa in quaestionem veniet absurditas, cui non inducant colorem.” Quodsi argumenta gravia afferre nequeunt, „sufficiet adversae parti τὸ Φιλιππεύου, ut rata sit autoritas.”

„Hoc temperamentum,” respondet Cassander ²⁾, „de confirmatione e Sacris literis, *nugas* hic noster appellat. Quid ita? Quod nulla tam crassa in quaestionem veniet absurditas, cui non hac ratione color aliquis e Sacris literis induci possit. Quin potius haec vanissimae nugae sunt. Nam si tam crassa sit haec absurditas, haud dubie apertis divinae Scripturae testimoniis confutabitur. Quomodo igitur probabiles rationes dici poterunt, quae apertis divinae Scripturae testimoniis adversantur? At si hoc temperamentum non sufficit, adde et illud: Et apertis divinarum literarum testimoniis non repugnat.”

4. „Quarto loco quaestionum quoddam genus est, quae neque tam claris Scripturae testimoniis, neque

¹⁾ p. 803.

²⁾ p. 845.

tam antiquo et magno consensu ecclesiae nituntur, tamen posterioribus temporibus, in hac praecipua occidentali ecclesiae parte, constitutae et receptae sunt: quae cum divinis literis manifeste non repugnant, in earum confutatione neque pugnaciter agendum, neque ea de causa ecclesiarum pacem perturbandam puto. Quod si sententia aliqua, jam omnino recepta et firmata, minus probabilis videatur, de ea tamen non passim et odiose contendendum, sed cum eruditis et moderatis viris placide inquirendum et disceptandum existimo. Quae autem certorum hominum, quamvis doctorum, probabilibus disputationibus asseruntur, ita ut alii aliter de iis sentiant, liberam cuique quid velit sequendi potestatem esse constat. Si quae vero sententiae et divinis literis et veteris ecclesiae traditioni adversae, et per errorem vel imperitiam vel etiam ambitionem postremis his et corruptissimis temporibus invectae videntur, eas ut fermentum vitandas et cavendas non nego: sic tamen, ut privato homini temere apud quosvis de iis contendendum non putem, ubi certa offensio, profectus et utilitatis nulla spes. Itaque prudentiam eam Christianam hic adhibendam, ut non temere et passim ubique dicas, quicquid sentias, neque tamen unquam dicas, contra quam sentias: ubi vero gloria Dei vel proximi utilitas postulat, libere et constanter dicas quod sentias."

Hic imprimis palam liquet, secundum Calvinum, quam flexilocus sit Cassander. „Primo dubium non est, quin verborum blanditiis mali gravitatem extenuet, dum sententias minus probabiles appellat falsa, perversa, aut vitiosa commenta." Loquitur etiam de sententiis, postremis his et corruptissimis temporibus invectis. „Atqui ex tot erroribus, de quibus hodie

nobis certamen est, et quos obstinate Papistae tuentur, fateor vix ullum reperiri, qui non sit centenarius.... Ergo quacunq[ue] parte aggrediamur Papatum, hoc propugnaculo munitus erit, pro fermento non esse habendum nisi quod postremis annis invecum sit.... Facilius ignem cum aqua concilies, quam fluxuosas istas ambages, quae homines saniore intelligentia praeditos nunc jubent sibi solis sapere, nunc ad libere loquendum incitant, praesertim cum in medio contextu laudetur calliditas, Non esse, quod sentias, passim et ubique dicendum."

Miratur Cassander ¹⁾, cur illud reprehendatur, quod dicitur non esse pugnaciter agendum in confutatione earum quaestionum, quae jam receptae sunt; quum viri quidam, ex eo hominum ordine, qui *Protestantes* vocantur, idem fere dixerint, in his Bucerus et Camerarius (*de piis cathol. eccl. precib.*). Quum loquitur de sentiis minus probabilibus, metuendum non est, ne verborum blanditiis mali gravitatem extenuet. Ad sententiam spectat jam olim receptam, et Augustini omniumque ejus et sequentium aetatum consensione firmatam, „infantes etiam Christianorum, qui citra baptismum moriuntur, aeternis suppliciis damnari, vel certe regno Dei in perpetuum excludi. Quid, si cui haec sententia durior minusque probabilis videatur, et probabilibus rationibus moveatur, ut existimet, hujusmodi infantes,.... si ante expirent, quam baptismi Sacramentum consequi possunt, a Deo recipi et a baptismi gratia.... non excludi?" Attamen viri prudentis non esset, hanc sententiam passim et contentiose apud quosvis obtrudere, et aliter sentientibus pertinaciter et

¹⁾ p. 846 seqq.

odiose oblectari. Verba „postrema haec et corruptissima tempora” immerito adversarii bilem commoverunt. „Quasi vero haec postrema tempora triginta tantum aut quadraginta annorum spatio definiantur. Certe consueverunt ipsi suas sententias piae vetustatis patrocinio et testimonio commendare, *Papisticos* autem, ut vocant, errores novitatis nomine condemnare: ut qui a trecentis vel quadringentis circiter ab hinc annis ab indoctis sophistis vel ab avaris et ambitiosis pontificibus invecti sint.” Quod autem ad istos errores attinet, nonnulla pro capitalibus et exitiis damnantur, quae si recte aestimentur, tam graviter damnanda non sunt. „Quemadmodum contra fatendum est, pie initio receptis et creditis postea superstiosas opiniones et observationes accessisse, quas nonnulli ecclesiasticae auctoritatis praepostere studiosi, defendendas sibi putaverunt.” Quo jure reprehendere possit Calvinus, quod dicitur „non passim et ubique dicendum esse, quicquid sentias,” Cassander non intelligit. Ipse Christus hanc regulam secutus est (Matth. 7, 6; Joa. 16, 12).

Ita in prioribus sententia de *dogmaticis* quaestionibus aperta, in secunda opusculi parte pergit Cassander ¹⁾, quod ad *ceremonias* ecclesiasticas attinet, eandem viam ac dijudicationis normam proponere. Breviter etiam hic commemoranda mihi videntur, quae cum auctor ipse, tum adversarius, de hoc argumento statuerint. Cassandri autem sententia, quam, ut ipse scribit ²⁾, „post divini Spiritus implorationem,” profert, haec redit:

„Caeremonias, quae a Christo ad colligendam novi populi societatem institutae sunt et Sacramenta vocan-

¹⁾ p. 724.

²⁾ p. 736.

tur, caste et integre observandas, nihil eorum institutioni tanquam mutilatis et imperfectis addendum, neque ut superfluis detrahendum. Interim Apostolis eorumque successoribus jus potestatemque concessam credo, ut pro tempore et utilitate ecclesiae ritus quosdam et caeremonias instituerent, quibus in publicis ecclesiae conventibus Sacramenta illa divinitus administrarentur: tum etiam, quibus disciplina populi tanquam politicis quibusdam legibus... regeretur et contineretur. Ex iis autem ritibus et caeremoniis quaedam per universum orbem summa consensione jam inde ab ipsis ecclesiae initiis observatae et ad nos usque sunt propagatae: *quarum cum rationes perpetuae sint, perpetuam quoque observationem esse convenit.....* Illud tamen verum est, ex iis, qui olim per universum fere orbem observabantur, ritibus, quosdam aut quia non tantum momenti habere putabantur, aut temporum commutatione utiles esse desierant, aut intemperantia populi in abusionem venerant, paulatim desuetudine esse abrogatos. Nec inficior, alios quoque ejusdem generis etiam hodie publica auctoritate, modo id quam minimo scandalo fiat, abrogari posse. Nonnulli quoque adhuc antiquissimi ritus in ecclesia reliqui sunt, quorum huc usque vestigia et tanquam lineamenta servantur, quamvis ab ipso fine et usu, ad quem initio instituti sunt, nonnihil deslexerint: quos tamen, donec legitima auctoritate aut prisco suo fini restituantur, aut etiam ex usu removeantur, pacis et unitatis studio observandos existimo. Contra nonnulli ritus olim universales, et summa religione, ut Apostolicae traditionis, observati, tandem paulatim obsoleverunt; quos, ut ego quidem existimo, in usum rursus revocari per legitimam auctoritatem, quam minima fieri possit perturbatione, conveniat.

„Sunt et alii quidam ritus certarum ecclesiarum proprii, sed longa consuetudine confirmati, qui per loca terrarum regionesque variantur. De iis regulam a B. Augustino praescriptam tenendam sentio: Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, et pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum..... Non tamen praetereundum hoc loco est, quod eidem Januario scripsit Augustinus: Quae scripturis non continentur, nec in conciliis statuta, nec universali consuetudine confirmata, sed pro regionum et hominum moribus variantur, oblata facultate resecanda sunt, etiamsi fidei non videantur adversari: quia religionem, quam Christus liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt.

„Illud autem in primis observandum est, in his ritibus et observationibus multis modis vitium accidere posse. Uno modo, cum iis ritibus, quorum bonus usus esse potest, falsa opinio et alienus finis adfingitur: quae opinio, cum in animis hominum et non rebus ipsis insita sit, recte sentienti legitimeque utenti praejudicare non potest. Aliquando ritus ad pium usum instituti, superstitione populi in abusum vertuntur: qui abusus publica auctoritate tollendi, privata autem cautione vitandi sunt, bonus autem usus, si quis est, retinendus.

„Scite dictum est a quodam scriptore Italico nostra aetate ¹⁾: Tanti non debet esse ullus abusus, ut propter ipsum tollatur bonus usus. At magis pro conser-

¹⁾ Intelligit Cassander Joannem Antonium Delphinum, „virum“, ut ait, „eruditum quidem, sed Pontificiae potestatis, quam supra concilia effert, nimium fortassis assertorem“ (p. 869).

vando bono usu corrigendi sunt abusus, si qui sint in ecclesia. Quanquam haec superstitio usque eo invalescere potest, ut publica auctoritate rem quoque ipsam, cui superstitio adjuncta est, e medio tolli conveniat: ut de aeneo serpente ab Ezechia rege factum legimus.

„Nonnullae quoque hujus generis constitutiones sunt, quae, quamvis exiguum usum habere videantur, tamen unitatis retinendae et scandali vitandi causa servandae sint. Aliae ejus generis sunt, ut cum plerumque utiles esse possint, tamen non raro tempus incidit, ut privatim earum observatio vel impossibilis vel noxia sit: ut in jejuniis et delectu ciborum haud raro aegrotis et debilibus accidit. Hic a verbis statuti ad mentem institutoris et ecclesiae confugiendum esse non dubito. Non diffiteor tamen, postremis hisce temporibus, una cum ignorantia, avaritia et ambitione, superstitiosos quoque nonnullos cultus et ritus in ecclesiam irrepsisse, ita ut vitium ipsis rebus inhaereat, ipsorumque observatio fidei integritati officiat. Hos, ut publice per eos, quorum in ecclesia summa potestas est, tollendos, ita privatim cuique vitium agnoscenti cavendos, neminem inficiaturum puto.

„In horum autem rituum dijudicatione dupliciter error accidere potest. Primum, si nimio odio superstitionis, ii ritus, qui tolerari citraque impietatem servari possint, pro noxiis et impiis temere damnentur et abjiciantur. Rursum, si caeco caeremoniarum amore et inconsiderato ecclesiasticae potestatis zelo, superstitiosi et impuri ritus pro religiosis defendantur et exigantur. Quae tamen dijudicatio homini, in rebus ecclesiasticis utcunque versato nulloque partium aut personarum studio praepedito, haud ita difficilis erit.”

Ex Calvinii sententia ¹⁾, in hac etiam parte dubie et ambigue Cassander locutus est. „Sacramenta” ait, „caste et integre observanda sunt;” sed statim addit „Apostolis eorumque successoribus jus concessum esse caeremonias instituendi, quae in Sacramentis administrandis ornatus loco accederent..... Verum arguto effugio se expediet: modo ne Sacramenta putentur mutila aut imperfecta, ferendas esse accessiones. Ita quibuscunque mixturis prope in novam figuram mutata fuerint Sacramenta, nihil erit vitii: modo ne palam Christo exprobetur, mancum esse vel mutilum, quod instituit..... Porro quae ab ipsis ecclesiae initiis per universum orbem summo consensu ad nos propagatae sunt caeremoniae, cum earum rationes perpetuae sint, perpetuam quoque observantiam, censoris iudicio, esse convenit. Sed quomodo hoc cum proxima pagina conveniat, non video: ubi dicit ritus quosdam, qui per universum fere orbem olim observabantur..... paulatim desuetudine esse abrogatos. Ubi igitur perpetua ratio, ex qua perpetuam observandi legem nuper ducebat?..... Alios antiquos ritus, quorum vestigia et lineamenta apparent, quamvis a suo fine et usu non-nihil deflexerint, pacis et unitatis studio observandos existimat, donec legitima auctoritate aut restituantur prisco suo fini, aut ex usu removeantur. Quoniam astute, quid velit, dissimulat, monendi sunt lectores, ad hanc classem referri omnes histrionicos gestus, qui simiis magis conveniunt quam hominibus, et vix in actione profana essent tolerabiles..... Quod ritus quosdam antiquissimos, qui..... paulatim obsoleverunt, rursus in usum restitui cupit per legitimam auctori-

¹⁾ p. 804.

tem," hic Calvino in mentem venit usus calicis in Sacra Coena populo indigne ereptus. Sed etiamsi Cassander de eodem calicis usu restituendo cogitasset, tamen ab eo hac in re nihil boni sperandum est. Nam „nugator a putidi cleri nutu pendere nos jubet, et quasi in re levicula cavere omnem perturbationem."

„Quid autem valet illud Augustini: quod neque contra fidem, neque contra mores injungitur, indifferenter est habendum? Cum velit Deus ex praescripto legis suae coli, ac proinde fictitios cultus detestetur, fidei certe repugnat, quicquam ejus mandatis addi, hominum arbitrio; nec bonis moribus consentaneae sunt ludicrae ineptiae, quibus tota religio foedata est in Papatu... Itaque, quod ex scriptore Italico adducit: abusu non tolli bonum usum, si absque exceptione intelligas, minime verum erit... Rectius ac sanius dicetur: quae Deus ipse instituit, nullo abusu aut vitio posse aboleri; quae autem humanitus tradita sunt, postquam errore sunt vitiata, si eorum usus noceat, et pariat offendiculum fratribus, esse abstinendum." Exemplum affert Cassander aenei serpentis ab Ezechia rege confracti et in cineres redacti. Sed „quid in Papatu non simile serpenti aeneo, praeter originem?... Cur non ergo simpliciter quod verum est agnoscimus, necessarium hoc esse purgandae a sordibus ecclesiae remedium?"

Cassandri consilio de jejuniis et delectu ciborum, ita respondet Calvinus: „Ergo lex de ciborum delectu, qua interdicitur esus carnis, ovorum, lactis et butyri, *publicae* noxia non censebitur. Unde colligere promptum est, susque deque facere bonum virum, si conscientiae humanis decretis serviliter opprimantur, modo absque valetudinis jactura fiat." Prorsus aliter loquitur Paulus: Col. 2, 16—23; Gal. 5.... Peccari tan-

dem admonet, si, nimio superstitionum odio, ritus, qui tolerari possunt, pro noxiis et impiis temere damnentur. „Id quidem interdum contingit: sed quid ad praesentem causam, cum nemo abjiciendum contendat, nisi quod manifesta impietatis labe turpiter corruptum est?“

„ Quod contendit Calvinus, ea, quae de Sacramentis dicta sint, inter se dissentire, id longe aliter sese habere affirmat Cassander ¹⁾. „Non enim haec re ipsa pugnantia sunt, *nihil addi licere Sacramentis divinis et addi licere*, modo illud diversa ratione fieri intelligatur: videlicet nihil addi licere, *quo Sacramenta ut mutila suppleantur*, addi vero licere, *quibus homines ad Sacramenti dignitatem considerandam excitentur et commoveantur*... Non autem sine magna contumelia antiquitatis et totius priscae ecclesiae, hanc et ejus similes ceremonias, *insulsitates* appellat Calvinus... Neque enim eorum, qui haec adhibenda primum instituerunt longoque tempore in hanc usque aetatem adhibuerunt, ea mens fuit, ut judicarent ea ad Sacramenti hujus substantiam et perfectionem necessaria esse, virtutemque aliquam baptismo addere; sed ut his signis, tanquam *visibilibus verbis*, ut ab Augustino appellantur, homines de Sacramenti hujus conditione, dignitate et virtute admoneantur ²⁾.“ In iis etiam, quae sequuntur,

¹⁾ p. 852 seqq.

²⁾ Verba, quae statim sequuntur parum laetam nobis vitae illius temporis ecclesiasticae imaginem praebent: „Quamvis non satis deplorari potest nostri temporis corruptela, qua Sacramentum hoc [Baptismus] negligentissime et indignissime fere administratur. Nulla enim vel certe minima in ejus administratione reverentia adhibetur, nulla institutionis praesentium ratio habetur; caeremoniae omnes, ut muta et inania simulachra exhibentur, quo fit ut apud alios in ludibrium et contemptum, apud alios vero in abusum et superstitionem abierint. Haec, quae vitio hominum accidunt, utinam corrigantur, sperarem inter

„castigator nodum in scirpo quaerit, et pugnam ostendere conatur, ubi non modo pugna nulla, sed etiam summa consensio est.” Nam, si consuetudines quaedam et caeremoniae ideo perpetuam observationem retinuerunt, quod earum rationes perpetuae sint, consequitur, „ut, quarum caeremoniarum non sit perpetua ratio, earum neque perpetuam esse observantiam necesse sit, sed ratione cessante et ipsam caeremoniam seu consuetudinem, quae legis instar habet, cessare posse. Porro, *rationem* hîc intelligi existimo utilitatem, quae non modo in fine utili ad promovendam in populo pietatem, sed etiam in accommodatione et collatione ipsius caeremoniae ad eum finem spectatur; videlicet si ea actio et observatio momentum aliquod et pondus ad eum finem consequendum obtineat.... Nituntur haec omnia duobus illis pronunciatis, non tam vulgatis quam veris, quibus dicitur, manente causa effectum manere, et, causa cessante cessare effectum.... Non enim voluit auctor in omnibus antiquitus receptis caeremoniis hanc perpetuam rationem spectari, sed in iis tantum, quarum observatio perpetua et in hunc usque diem immota retenta est.”

Ubi sermo est de ritibus quibusdam antiquissimis, quorum adhuc lineamenta quaedam servantur, cogitat adversarius de histrionicis gestibus, similiis quam hominibus convenientioribus. Injuriâ. Haec intelligenda sunt de solenni illo ritu, „quo pridie Paschae et Pentecostes, aqua baptismati destinata certis precibus et caeremoniis quodammodo sanctificabatur. Item cerei Paschalis benedictio et accensio, quae omnes caeremoniae tum

seniores de ipsis caeremoniis ad legitimum suam et primævum usum restitutis non tantam contentionem fore ” (p. 853.)

usum aliquem habere poterant, cum praesens circumstaret regeneratorum coetus, cujus gratia haec omnia suscipiebantur. Nunc vero inanis et quasi anima destituta haec pompa videtur, cum nemo adsit eorum, quorum gratia haec a majoribus instituta fuerunt." Propterea optandum putat Cassander, ut „pueri nati per octavas ante Pascha vel ante Pentecostem reservari jubeantur, si id citra periculum fieri possit, ut in Sabbato Sancto Paschae et Pentecostes baptizentur;" et rogat lectores, an hic tam inimicae et acerbae invectioni locus fuerit, ut in haec verba erumperet adversarius: „Pax tua, nugator, cujus studio quaevis pietatis ludibria obtegis, quando ter proditoria est, a nobis procul facessat."

Jure vero et ex mente Cassandri, castigator in alium rituum ordinem usum calicis ponit; quanquam negligenda non sunt quae Lutherus ad Bohemos scripsit: „praestare pacem et unitatem, quam Christus ubique praecepit, sectari, quam de speciebus Sacramenti contendere." „At vero cum hic usus dominici sanguinis... et Christi institutionem, et totius ecclesiae amplius mille annis, et in hunc usque diem totius Orientis consuetudinem habeat,.. optandum vehementer atque adeo elaborandum videtur, ut generali constitutione, antiqua haec et longo tempore perpetuata, integra Sacramenta administrandi consuetudo revocetur.. Praeter hunc calicis usum audebo et aliud quiddam commemorare,... quod ad hanc classem pertineat, videlicet ne sacerdos haec mysteria solus obeat, sed adjunctos semper aliquos habeat, ut minimum ipsos e clero ministros, cum quibus synaxim faciat et sacram hanc communionem participet: id quod quam religiosissime olim observatum fuit... Quin et ecclesiastico-

rum rituum explicatores ingenue fatentur, eam esse legitimam Missam, cui intersint Sacerdoti *respondentes, offerentes* atque *communicantes*.... Addam vero et tertium, in quo non parum quoque momenti consistit.... Optandum videtur, ut juxta Apostolicum mandatum [1 Cor. 14] et priscum ecclesiae morem, in publicis ecclesiae precibus, cantionibus et lectionibus, quae populi causa suscipiuntur, populi quoque ratio aliqua habeatur" adeoque patria lingua adhibeatur.... „Quod nisi fiat, spem nullam video, firmam in ecclesia consensionem et concordiam futuram, aut schismatum et dissidiorum seminaria defutura."

Quod autem attulit Calvinus in illam Augustini regulam, minoris momenti est. Non enim „satis est ad quasvis caeremonias rejiciendas, insimulare eas, quod fidei repugnent, ea videlicet causa, quod hominum arbitrio nihil addendum sit divinis mandatis; cum non intelligendum sit divinis mandatis addi, quo nihil dignitati et perfectioni divinorum mandatorum detrahatur, quin potius aliquomodo ad observationem et illustrationem divinorum mandatorum conducit..... Quod de ludicris ineptiis scribit, quae in ecclesiam irrepserint, eae certe si quae sunt, bonis moribus minime sunt consentaneae..... Sed cum hujusmodi ludicris ineptiis totam in Papatu, id est Romana ecclesia, religionem foedatam assumit, metuo ne ineptias illas ludicras privata sua suorumque aestimatione potius, quam aliorum doctorum et religiosorum virorum judicio metiatur." Protulit quidem et ipse Cassander aenci serpentis exemplum; sed cum dicit adversarius „in Papatu nihil non simile esse serpenti aenco," certe multi viri, „neque eruditione, neque judicio, neque pietatis studio

inferiores" aliter sentiunt ¹⁾). Neque etiam „exemplum Ezechiae, ... summo in eo regno imperio praediti, eo valere debet, ut cujusvis magistratus arbitrio et concionatorum aliquorum hortatu, antiquissimae et jam olim per universum Christianum orbem usurpatae caeremoniae, ob errorem et abusum, qui optimis rebus atque praeclarissimis institutis agnasci solet, tollantur et evertantur." Quod illi scriptoris Italici dicto opponit castigator, „multo minus in se veritatis continet. Nam eorum institutorum, quae ad homines referuntur, multa sunt discrimina: quaedam enim, ut jam satis ostendimus, eam in ecclesia auctoritatem obtinent, ut non statim ob errorem, abusum vel offensionem quorumvis abolendae sint."

In fine censurae Calvinus ignominiose loquitur de jejuniis et ciborum delectu. Quid ita? Conscientiae, inquit, humanis illis decretis serviliter opprimuntur et onera tyrannidis imponuntur. Verum est, „homines aliquando imperitos et superstitiosos hac ecclesiastica constitutione ad tyrannidem et oppressionem et laqueum conscientiarum esse abusos. At quam civile est, ex hominum vitiis, quos Plato legum tyrannos appellat,

¹⁾ Nimirum Lutherus et Bucerus, quippe qui saepe et aperte proclamaverunt „se non detrectaturos, cur minus caeremonias plerasque omnes et traditiones, in ecclesia Romana publice receptas, communiter observent, his modo adjectis conditionibus, si doctrina Evangelii de justificatione gratuita per fidem in Christum non impediatur." „Quamquam est", sic pergit Cassander, „quod in istis viris desiderem. Nam si, his conditionibus servatis, nihil harum caeremoniarum et traditionum observationem obesse religioni et ecclesiae judicarunt, cur non potius in ecclesiis suis reformandis hanc formam proposuerunt, ut, his conditionibus servatis, quod sine magno tumultu et majore cum utilitate fieri poterat, caeremoniae ipsae, quae per se pietati non obstant, suo loco relinquerentur?" (p. 868.)

legibus bonis ad suam libidinem vel ignorantiam abutentium, ipsas leges insectari? Quod si hujus constitutionis ecclesiasticae sententiam ex ejus veris interpretibus cognoscas, nihil in illa iniquum, nihil tyrannicum, sed summa aequitate temperatum invenies. . . .” Inepte autem, ad hanc ecclesiasticam constitutionem improbandam, adducuntur loci illi Paulini. . . ., “Constat enim haec a Paulo dicta esse adversus Judaicam servitutem, qua pseudo-Apostoli conabantur gentes, ad Christum conversas, ad praeceptam Moisis lege ciborum quorundam tanquam immundorum perpetuam evitacionem, ut necessariam, astringere; non autem pertinere ad temporariam quarundam eduliorum abstinentiam, quae *pietatis studio, h. e. carnis edomandae, spiritus in Deum erigendi, vindictae Dei anticipandae et mitigandae causa ad tempus praescribitur atque suscipitur.*” — Dicit tandem Calvinus, nimii superstitionis odii culpam ad se suosque non pertinere, cum nihil aliud abjiciendum contendant, „nisi quod manifesta impietatis labe turpiter corruptum est. At cum omnia propemodum in ecclesia manifesta impietatis labe corrupta dicant, fit, ut omnia quoque abjicienda nihilque fere ex prisca ecclesiae consuetudine relinquendum esse contendant.”. . . .

Sed jam satis mihi videor utriusque adversarii alterationis indolem ac rationem ostendisse. Neque ad Cassandri pacis studium atque id ipsum commendandi et defendendi rationem cognoscendam, ampliore quidem explicatione opus est. Nam, quae in posteriore Cassandri operis parte inveniuntur, maximam partem nihil aliud continent, nisi quae jam in prioribus, aliis quidem verbis, dicta erant. Neque in ultima hac operis parte praecleara desunt effata de ecclesiae con-

ditione, deque modo, quo, „virum pium” in mediis contentionibus versari oporteat. Antequam ad alia fata vel facta Cassandri tractanda aggredior, de pluribus etiam, quae sibi contraxerat, criminibus, mihi loquendum est. Erant inter Protestantes, qui, ut auctor libelli Germanici, *Viae commonstrator* inscripti, cui Cassandro auctore respondit Bartholomeus Nervius, cum hypocritam agere et ad Papistas defecisse clamitarent. Haud minore calumnia affectus est a Romano-Catholicis, praesertim a Guilielmo illo Lindano, episcopo Ruraemundano ¹⁾, cui magnam offensionis ansam praebuerant verba sequentia, ex opere *De officio* petita ²⁾: „Quare, ut ante quoque dixi, qui recta sententia de Christo, capiti junguntur, et charitatis et pacis vinculo, etiamsi opinionibus quibusdam et ritibus discrepent, reliquo ecclesiae corpori connectuntur: nullo modo ut schismatici et ab ecclesia alieni habendi sunt, etiamsi ab alia ecclesiae parte potentiore et gubernationem obtinente rejecti, et ab eorum societate et communione separati videantur. Neque enim quaevis rejectio et separatio schismaticos facit, sed initia separationis et causae spectandae sunt; non enim separatio facit schisma, sed causa.” Ex his verbis Lindanus statuisse videtur, excommunicationem ecclesiasticam a Cassandro contemni; et, nisi noster Joachimus Hopperus ³⁾, Hispano regi a secretis con-

¹⁾ Vid. *Cent. Epist.* 47 et *Opp. C. Epist.* 26, 59 (p. 1118, 1153 seqq.).

²⁾ *Opp. C.* p. 788.

³⁾ Hopperus ex vetere, nobilissima familia Frisia, Snecae natus erat. Quam cum Cassandro coluit amicitia sine dubio ex utriusque eorum indole atque ingenio orta erat. Hopperus etiam inter illius temporis moderatos Catholicos praeceptum tenet locum; quod tamen non impedit, quominus J. L. Motley in opere celeberrimo: *History*

siliis et Cassandri amicus, inter utrumque virum mediatoris vice functus esset, episcopus non per litteras tantum, sed publice etiam adversarii sententias refutasset (in libro, quem inscripserat *Theophilus, sive Examen libelli de officio pii viri.*)¹⁾

Tam acerbae et ignominiosae criminationes, ut supra jam vidimus, Cassandri animum graviter commovere solebant. Quid mirum, Lindani etiam odiosas insimulationes dolore et indignatione eum affecisse? „Certe” inquit²⁾ „hoc nostrum conciliandae pacis institutum parum [*paene?*] restinxit, et pacis concordiaeque impetrandae spem propemodum omnem excussit. Nam si hujusmodi duriores sententiae valerent, nihil pacificationi loci relictum video; et quis non animum abjiciat, cum pios sanos conatus tam indigne et sinistre accipi et exagitari videat? Quid enim indignius et iniquius, quam modestas admonitiones, sycphantias, blasphemias, infandas contumelias, venenatos et a sathano dictatos aculeos appellare? et amicas ad societatem Christi invitationes, pestilentes adulationes, et bis proditoris pacis intercessionem vocare?” Eo magis gaudebat, quod alii aliter minusque acerbe de suis studiis cogitarent. Scripsit Julius Pflugius³⁾: „Librum

of the rise of the Dutch republic, (I. p. 54- cf. III. p. 457) quod ad rerum politicarum peritiam attinet, parvi eum ducat. — Cf. *Cent. Epist.* 47, 48.

¹⁾ Scribit Cassander in *Epist.* 61 (*Opp.* p. 1156) ad Balduinum data: „Est quidam e schola Lovaniensi, jam episcopali titulo ornatus, qui adversus libellum hunc *Dialogum* conscripsit, a quo tamen edendo haecenus graviore auctoritate prohibitus est.” Illic ipse est *Dialogus*, qui a Valerio Andr. (o. l. p. 326) recensetur in iis Lindani operibus, „quae nondum in lucem edita sint, proelo tamen parata.”

²⁾ *Epist.* 26 (p. 1118). Cf. *Cent. Epist.* 47.

³⁾ *Opp. C.* p. 1149.

Cassandri cum quadam animi mei voluptate legi, et quia idem videtur et bene sapere et recte judicare, pergratum mihi feceris, si de conditione ejus me feceris certiozem. Capió nunc consilia de collegio quodam theologico instituendo, cui libenter pium aliquem ac doctum virum praeficerem, si talem aliquem, *qualis Cassander est*, nancisci possem: perficerem equidem, no cum conditionis, quam consequeretur, facile poenitere posset" ¹⁾; et Wicclius: „Georgio Cassandro subscribo, Guilielmum Lindanum amo, nisi quod magis amica veritas" ²⁾. In Gallia praesertim multi erant Cassandri amici ac laudatores, et unus ex Sorbonicis doctoribus, catholicae unitatis et pacis studiosus, Claudius Espencaeus (Claude d' Espence), jam cum Balduino egerat de libro Cassandri in linguam Gallicam vertendo, ut reginae offerri posset ³⁾.

Sed plures etiam causae erant, quae Lindani iram incitabant. Auctor libelli, *Viae commonstrator* inscripti, Palatinicus quidam concionator ⁴⁾, minitatus erat, se opus aliquod editurum, quo Cassander olim sententiam suam de Eucharistia, quam cum Zuinglio communem habuit, exposuisset ⁵⁾. Revera ante aliquot annos Cassander tale scriptum composuerat, „non ut ederetur, nec quibusvis communicaretur, sed ut apud se retineret, et libertatem mutandi, inducendi, corri-

¹⁾ „De Pfuggi judicio de scriptis Cassandri, quod ad me misit, est quod illi plurimum gratuler, nec dubito, quin apud multos multum sit ponderis habiturum." (Verba Hopperi, apud Burmannum o. l. II, p. 240). Imprimis Hopperus delectatus est Cassandri Defensione, de qua quid sentiret rogatus, respondit, „non solum a me diligenter lectus est liber, sed etiam effectum, plurimi ut legerint et probarint." (Cent. Epist. 29.)

²⁾ Epist. 59. Opp. p. 1154. ³⁾ Epist. 60 p. 1155.

⁴⁾ Opp. p. 1170. ⁵⁾ Opp. p. 881.

gendi sibi reservaret." Civis quidam tunc temporis, eum obiter eum inspexisset, hujus scripti exemplar sibi dari postulaverat; quod aegre factum est, et hac quidem pacta conditione, „ne cui communicaret, sed apud se tanquam depositum conservaret." Cassander, quum postea hoc ipsum scriptum repeteret, civis ille, „animo turbatus aiebat, se reperire non posse, sed prorsus existimare a Paedagogo quodam, quem ante annos circiter 7 liberis suis instituendis domi familiariter alucrat, esse sublatum, idque sibi vehementer dolere, ac perfidiae illius nebulonis plurimum indignari." Hinc factum videtur, ut magis magisque scriptum illud divulgatum sit, et tandem Jesuitis etiam in manus veniret; unde etiam nova Lindano causa offensionis ¹⁾). Defendit se Cassander hoc modo, quod affirmat, scriptum istud improbatum non jam suum esse, sed sententiam suam de Sacra Coena multum jam mutatam ac emendatam fuisse ²⁾). „Persuasum habe," inquit, „nullum me paradoxon ecclesiae catholicae contrarium pertinaciter tueri velle; et, ut olim per imperitiam nonnihil a judicio catholicae ecclesiae, nondum mihi satis notae, aberraverim, nunc tamen post ejus sententiam diligentius investigatam et certius perspectam, in ea constanter acquiescere." Melius tamen judicandum censet de alio libello, superioribus diebus a se, de sacra communione in utraque

¹⁾ Vid. Cass. *Epist.* 70, 71 et 73.

²⁾ Obiter hic commemoro circa idem illud tempus Cassandrum ejusdem argumenti opusculum scripsisse: „Dialogum Simplicis et Prudentis," quem, reliquorum ejus operum collectioni non insertum, recedendum curavit Georgius Calixtus (Helmstadii, anno 1642), et postea iterum edidit Schelhornius in *Amoenitat. histor. ecclesiast. et litter.* II, p. 562 seqq.

specie, scripto: „is nec titulo, nec argumento, cum illo libello, quem merito improbamus, convenit; quin potius ejus retractationem, imo vero confutationem continet.... Hunc sane libellum, cum optimis quibusque probetur, non possum ipse improbare, quamvis ejus edendi auctor non fuerim.” — Agitur autem de scripto quodam, anno 1564 ab eo edito, cui titulus est: *de Sacra communione Christiani populi in utraque panis et vini specie* ¹⁾, cujus libelli, quin consilium et argumentum paucis exponam, praetermittere non possum.

De iis, quae Cassandro scribendi occasionem prae-buerant, haec ipse nobiscum communicat ²⁾: „Est conciliarius quidam juris consultus apud Rev. et illustr. Trévirensis electorem, qui anno superiori conventui Viennae, in quo Imperatoris jussa cum legatis et principibus electoribus de hoc argumento actum est, interfuit. Is per alium quendam Coloniae agentem per litteras auctorem hujus scripti consulit, quibus rationibus et argumentis, qui Catholici sunt, induci possint, ut sacram communionem in utraque specie expetant, quamvis eam non simpliciter jure divino necessariam esse ducant, ad quod illi specie consultationis responsum est; quod responsum postea ad manus typographi pervenit, qui, cum instructionem Caesarcae majestatis forte legisset, et libellum hunc prorsus cum ea convenire atque adeo ejus explicationem continere videret, putavit operae pretium, ut exemplaria aliquot ederentur.” Cujus scripti dispositio haec est. Primum ostendit Cassander, veteres omnes, tum Graecos, tum Latinos, in ea sententia fuisse, ut

¹⁾ *Opp.* p. 1019—1048.

²⁾ *Opp.* p. 1171.

existimaverint in legitima et solenni celebratione corporis et sanguinis Domini, duplicem speciem, panis et vini, esse adhibendam. Deinde, ex eorundem veterum sententia, hujus institutionis Christi, qui sub duplici specie hoc Sacramentum instituit, causas atque fines commonstrat. „Quorum finium atque causarum hi sunt praecipui:

„1. Imus est ad repraesentandam et conservandam memoriam passionis ejus in oblatione corporis, et effusione sanguinis (1 Cor. 11, 26).

„2. Ad significandum integram et perfectam refec-tionem, seu nutritionem, quae cibo et potu constat (Joa. 6, 55).

„3. Ad designandam redemptionem et tuitionem corporis et animae, ut corpus pro salute corporis, et sanguis pro salute animae, quae in sanguine est, dari et accipi intelligatur.

„4. Ut declaretur redemptio, quae hoc Sacramento significatur, omnibus esse communis.

„5. Ad designandam societatem et unitatem spiri-tualem, qua omnes his Sacramentis participantes, in unum corpus tanquam membra rediguntur, Christo capiti suo uniuntur, et individuo charitatis vinculo inter se connectuntur, quod eodem communique cibo et potu repraesentatur: cujus unitatis mysterium non in panis tantummodo, sed etiam in vini symbolo exprimitur (1 Cor. 10, 16. 17).

„6. In hoc potu Dominici calicis, qui communiter ab universo Christi populo percipitur, figura spiritualis potus, quo Patres omnes eundem potum spiritualem bibisse leguntur, in novo Testamento impletur (1 Cor. 10, 3. 4).

„7. Quin etiam hic potus Sacrosancti sanguinis,

ad Agni sanguinem refertur, qui super utrunque pos-
tem divino jussu positus fuerat (Exod. 12)."

Tum varia recensentur argumenta, quae ad alte-
rius tantum speciei usum defendendum afferri solent:

1. *Profertur Christi exemplum in Emaunte* (Luc. 24, 30.) ¹⁾.

2. *Domestica sive privata communio*, cujus Tertul-
lianus, Cyprianus, Hieronymus et Ambrosius memi-
nerunt, quae sola panis dominici sumptione constabat. —
Et hic provocat Cassander ad Ruwardi Tapperi sen-
tentiam (Vid. supra p. 65).

3. *Laica communio*, sive ea poena ecclesiastica, qua
clerici, nefariis criminibus contaminati, in laicorum
numero referri solent. — „Hodie," respondet C.
„doctiss. quique et rerum ecclesiasticarum peritissimi
ingenue agnoscunt, ea quae de laica communione apud
veteres leguntur, non de alio communicandi genere,
sed de *gradu, ordine et loco* communicantium intelligi
debere.... Ingenue itaque Decanus ille Lovaniensis
[Tapper], fatetur, ex laica sacerdotum communione
non probari alterius tantum speciei communionem: in-
telligi enim laicam communionem, qua laici commu-
nicant, *sive sub una, sive sub utraque specie.*" —

¹⁾ Quod ut refutetur argumentum, ita ratiocinatur Cassander: „Si
demus illic Christum sub sola panis specie Sacramentum corporis sui
discipulis illis duobis praebuisse, consequetur Christum quoque illic
sub altera tantum specie hoc Sacramentum corporis et sanguinis sui
consecrasse. Ut enim, solum panem illic discipulis datum, ita solum
panem a Christo benedictum legimus. Quare si hoc exemplum ad al-
terius speciei distributionem confirmandam valeat, valebit etiam ad
consecrationem in altera tantum specie comprobendam: cum tamen
diserte doceatur, sacerdotes sacrificantes ante mysteriorum distributio-
nem ex Christi instituto et mandato, ad *utriusque* speciei consecratio-
nem et sumptionem astringi. Quare hoc factum Christi in exemplum
trahi non potest." (p. 1028.)

Quod idem censendum est de *peregrina* communione, cujus in Agathensi synodo mentio fit.

4. Infirmis aliquando et a vino abhorrentibus corpus tantummodo Dominicum in panis specie porrectum fuit. — „Ad rem non pertinet: cum nos de ordinaria in ecclesiae conventu administratione loquamur: hoc vero si quando factum est, extra ordinem factum sit, et necessitatis causa, quae legem non habet.”

Ecclesia igitur omni tempore *utriusque* speciei usum, si minus necessarium, at utilem et potiore habuit. Tot tantasque rationes, quae ad usum illum defendendum adduci soleant, minime adaequare possunt argumenta, pro contraria opinione allata. Sunt, qui metuant, communionem plenam ansam praebituram errori, quasi sub una tantum specie exangue corpus detur. — Respondet C., hoc prorsus a Sacramento extraneum esse, et in sola hominum opinione positum, cui meliore doctrina occurri possit; porro, nec eos quidem, qui ecclesiae adversarii habeantur, hanc causam unquam afferre, quin potius in celebri quadam Confessione aperte profiteri, se non negare, quin totus Christus, tam pane quam vino Eucharistiae dispense-tur. — Provocant etiam aliter sentientes ad periculum sacrilegii, quod haec communio populi in utraque specie adjunctum habeat, in spargendo sanguine Christi. Quod tamen periculum „non necessario huic integrae communioni annexum est. Alioqui enim ecclesiam veterem universam sacrilegii insimulabimus. Sin autem necessario annexum non sit, omnino huic periculo certis cautionibus occurrere licebit. Quod apud veteres factum est [v. c. fistularum usu aut intinctione], hodieque in omnibus fere ecclesiis, quae sunt extra fines Latinos, fit, et haud ita difficulter fieri possit....”

„At dicat aliquis: Qui vere pius et catholicus est in recepta consuetudine et conciliorum decretis acquiescet. Recte, nisi aut imminens necessitas, aut insignis utilitas ad mutationem invitet. Nam, si nulla unquam publicae consuetudinis mutatio est admittenda, quâ fit, ut ritus ille integrae communionis.... contraria consuetudine... in totum mutatus sit? At ecclesia insimulabitur erroris, si decretis conciliorum aliquid contrarium admittatur. Minime vero erroris insimulabitur ecclesia, si pro temporum et hominum conditione et varietate sua statuta mutet.... Falso autem existimant quidam, a nemine hanc sanguinis communionem peti, qui non eam simpliciter ex divino praecepto necessariam, alteram vero prorsus impiam et sacrilegam iudicet: cum innumeri sint, per varias nationes et regna, qui in doctrina catholica et ejus ritibus antiquitus traditis acquiescentes, priscum hunc et catholicum corporis et sanguinis Domini participandi ritum, tum ob privatam religionem, tum ob publicam pacificationem, restitui summopere cupiunt.... Rursum dices: nullam esse causam, cur alteram illam speciem laici tantopere expetant, cum in una quam accipiunt specie perfectus et integer contineatur et exhibeatur Christus. Recte sanc, si Christi *substantiam* spectes, quae separari et divelli non potest.... At hinc de *Sacramento* agitur, cujus perfectio et integritas duplici hac specie constat. Nam altera corpus tantum, altera sanguis significatur... Verum deterret nonnullos, quod hanc utriusque speciei communionem, multarum quoque aliarum piarum et vetustarum consuetudinum abrogatio, et quaedam quasi religionis innovatio... comitari consuevit... At vide, ne hujus rei causa sit, quod in hac re.... acquissimis piorum hominum votis.... in

tempore obsecutum non sit. Ita enim fere homines natura comparati sunt, ut iniquum postea petant, qui aequum cum postulant, non ferunt....

„Nihil igitur est, quod hanc Dominici calicis restitutionem et in usum reductionem admodum impediat. Est vero inter caetera, cur Dominici calicis usus, jam diu praetermissus, nonnullis piis et eruditis viris vel nunc tandem restituendus videatur. Videlicet, ne longa hac consuetudine a Dominico calice populi abstinendi, in eum errorem homines abducantur, ut putent, Dominici calicis usum ad populum nihil pertinere, imo de calice Domini populum bibere, prorsus esse nefarium. Quem errorem ab iis confirmari putant, qui Christi verba, Bibite ex hoc omnes, ad solos esse Apostolos referenda docent..... Nec praetereundum hinc puto, quod vir quidam eximiae eruditionis et summae auctoritatis, (Nicolaus de Cusa, *ep. 3 ad Bohem.*), ante annos plus centum scriptum reliquit: videri sibi usum Sacramenti charitatem ecclesiae ad Christum ostendere: ut tunc saepe et sub utraque specie fiat communio, quando ardens est charitas, tunc rarius in anno et sub intincti panis specie, quando calida est, tunc vero rarissime in anno et sub una specie, quando tepida est: ut hoc, inquit, tempore. Quod si ita est, videtur certe vel maxime hoc tempore necessarium, ut, *instante Christi adventu*, tot undique periculis circumstantibus, Christianorum animi... ad ardentissimam in Christum charitatem inflammentur, hujusque ardentis charitatis declarandae causa ad frequentiore per annum communionem eamque perfectam et integram, revocentur.”

Tandem ex praecedentibus hoc a Cassandro concluditur: „Hanc integram in utraque panis et vini specie

communione, *etsi simpliciter necessaria non habeatur*, ei communicationi, quae in altera tantum specie fit, etiamsi Christi mandato contraria non putetur, multis nominibus esse anteponendam, omnesque vere pios et Evangelicos ac catholicae traditionis studiosos, ad eam obtinendam et in usum revocandam, (*salvo semper catholicae unitatis vinculo*) eniti et contendere debere, et, si citra gravem ecclesiae offensionem et perturbationem obtineri possit, gravissimis animis amplectendam.”

Aliquanto post, ecce novae Academiae Lovaniensis querelae, quas in vulgus edidit vir clariss. Joannes Hesselius (Joannes a Lovanio), unus ex acerrimis doctrinae catholicae propugnatoribus, qui celebrationem Sacrae Coenae sub unica panis specie fortiter tueri conatus est ¹⁾. Cassander se non intelligere ait, quid prudens Theologus, libello *de Sacra communione* lecto et auctoris proposito perspecto, reperire possit, quod in eo accuset et reprehendat; praesertim, cum Ferdinandus Imperator ejusque consiliarii hunc libellum probaverint. Oportuisset sane, auctorem ipsum ante fraterno et Christiano animo admonere, quam ad publicam reprehensionem procurrare. Respondet Hesselius, se multo graviore, quam Imperatoris, auctoritati inscribendo cessisse: conciliorum scilicet decretis; amicam solam admonitionem ad populum sanandum suppedituram non fuisse, atque Cassandrum eo minus causam habere Hesselii agendi rationem reprehendendi, quod ipse palam librum suum in lucem misisset. In posterioribus Hesselii literis quum moneatur Cassander, ut tandem dubie et ambigue agere desinat, et diserte

¹⁾ Vid. Cass. *Epist.* 102, 106, 112, 115. *Cent. Epist.* 49, 51.

aut Catholicorum aut Protestantium partes amplectetur, non tantum acriter hic crimen diluere in responsione nititur, sed graviter etiam adversariorum audaciam et superbiam increpat ¹). — Caeterum in tota illa Cassandri refutatione non adeo multa reperiuntur doloris atque indignationis signa, quae alias tanto impetu incitari solebant. Id fortasse huic rei tribuendum est, quod Hesselius fere solus erat, qui libellum *de Sacra communionem* confutasset ²); et contra multi viri, iique summo loco collocati, Cassandri sententias assensu suo comprobaverant. Tum etiam ex amico audierat, in Belgicis provinciis multos sibi assentiri, et, argumentis suis victos, calicem sumpsisse ³).

Jam vidimus, Imperatorem Ferdinandum, hoc lecto libello, bonam de eo opinionem concepisse. Quo factum est, ut mox in re summi momenti princeps ille

¹) «Et illud credo» (ita scribit *Epist.* 106. p. 1216) «sub titulo catholicae fidei etiam *fermentum Pharisaicum* latere posse, a quo pio cuique cavendum sit, et a quo qui caveat, non ideo tamen a catholicae ecclesiae puritate recedere dicendus sit: nec dubito, ut reliquas virtutes, ita et religionem, in medio duorum extremorum consistere, h. e. inter *Pharisaicam superstitionem* et schismaticam seu haereticam impietatem.»

²) Cassandro tamen persuasum erat, H. non tam sponte sua egisse, quam «quorundam flabellis incitatum, quorum tam eximia et excellens est religio, ut communi Christianorum nomine contenti non sint.» (*Epist.* 115. *Opp.* p. 1225.) Quocum conferantur, quae legantur in *Epist.* 72 ad Baersium data: «quod scribis me ab Illustrissimo principe ad conventum evocandum, ubi de reformatione deliberandum sit, libenter, si quid ad eam rem possim, quod sane est perexiguum, privatim cum tua excellentia, et aliis gravibus, prudentibus et moderatis viris sum communicaturus simpliciter, et ingenue explicaturus. Id autem in publico vel coram multis libere et tuto et sine gravi offensione facere non possim: scis enim, quae sit *judiciorum varietas atque etiam malignitas.*»

³) *Cent. Epist.* 65.

Cassandri auxilium imploraret. Sed non ante ad hanc rem animum attendemus, quam de ipsius Anabaptistas in ecclesiam revocandi conatibus egerimus. Turbis Monasteriensibus prorsus sedatis, gravissima Anabaptistis plaga inflictata erat; sed viri inter illos moderati, qui post generali nomine *Mennonitarum* indicari solebant, eo melius causam suam tueri poterant, quo integrioribus ac purioribus incitamentis impulsus agebant. Attamen quum semel, aliqua saltem ratione, cum viris illis turbulentis conjuncti fuissent, mirandum non est, minus bona fama vulgo eos usos esse, ac participes fuisse persecutionum, in Anabaptistas, Sacramentarios aliosque viros haereticos ¹⁾ institutarum. Quod tandem melius et aequius de iis judicatum est, observato discrimine inter viros desperatos qui rerum ordinem pervertere studerent, et homines placidos ac pacificos, legibus obtemperantes, magnam certe partem tribuendum est talium virorum, quales errant Cassander atque ejus socii, operae et laboribus. Magnus quum jam diu fuisset numerus Anabaptistarum (ita enim diutius appellabantur,) in Clivensibus etiam regionibus, commotus erat magistratus, ut virorum eruditorum opera et consilio, in ecclesiae sinum illos reducere tentaret. Cui rei idem Cassander etiam operam navabat; neque quemquam ad hanc rem aptiorem inveniri potuisse, ex aequo ipsius de haeresibus judicio (vid. supra p. 53), luculenter apparet. Jam anno 1558 cum quodam Joanne Cremer a Castorp de baptismo, nec frustra, ut videtur, sermocinatus erat ²⁾; et post illud etiam tempus subinde homines ejusdem generis et opinionis

¹⁾ Goebel, o. l. I. p. 212.

²⁾ Vid. *Acta Colloquii habiti a Georg. Cassandro cum Johanne Kremer, cet. Opp. C. p. 1227—1234. Cf. Epist. 3. (Opp. p. 1085.)*

nobis occurrunt. Narrat enim ipse Cassander Adolpho Baersio, in epistola quadam, anno 1565 ex Colonia scripta ¹⁾: „De Anabaptistis hinc captivis pauca tibi commemorare possum, cum ob pedum imbecillitatem nusquam prodeam, et pauci ad me adeant, ex quibus certi aliquid cognoscere possim, et poteris haec certius ex aliis scire. Audio tamen ad sexaginta in vinea quadam, ad quam de nocte concionem audituri conve-
nerant, deprehensos, nonnullos aufugisse, in quibus praecipuum doctorem Chroocht, ut opinor, nominatum, qui jam longo tempore doctoris et baptizatoris nomine celebris fuit. Ex his autem captivis multae fuerunt foeminae, puellae, adolescentuli, ex quibus nonnullos dimissos intelligo. Est inter eas honesta matrona Bonnensis, defuncti praefecti (vulgo Vaet appellant) vidua, quam adhuc teneri puto.” In Anabaptistarum illo tempore numero erat quidam Matthias nomine, qui inter suos doctoris vices egerat, et dein, captivus factus, Cassandro instituendus commissus erat. „Homo est” inquit ille ²⁾, „satis confidens, et ad contradicendum et ad dogma suum asserendum magis quam ad ob-
jecta solvenda, et rationes ex divinis literis proposi-
tas intelligendas idoneus. Pridie quam eum adirem, duo doctores Jesuitae cum illo egerant, quorum ora-
tione nonnihil offensus videbatur, cum, ut mihi narra-
bat, omnia, quae hodie in Romana ecclesia usurpan-
tur, titulo auctoritatis ecclesiae defenderent, exceptis, ut ajebat, papalibus literis Indulgentiarum; quae res nobis cum illo actionem difficiliorum reddidit. Egi pot-
tissimum cum illo de auctoritate antiqui et perpetui consensus ecclesiae, ex quo tanquam firmissimum tes-

¹⁾ Epist. 101. (*Opp.* p. 1203.)

²⁾ *Ibid.*

timonium in summis fidei articulis, quae sit Apostolica doctrina, et vera Apostolicorum scriptorum intelligentia, petendum sit; et quanti periculi sit ad nudum Scripturae contextum provocare, ostendere conatus sum, cum quisque, ingenio valens et fastu aliquo elatus, eam Scripturam suo arbitrato interpretetur...¹⁾ Ad errores Anabaptisticos melius exstirpandos, duo composuit scripta, quorum alterum patrum ecclesiasticorum, alterum S. Scripturae testimonia de infantium baptismo continet. Illud, Clivensi duci dedicatum et inscriptum: *De baptismo infantium testimonia veterum ecclesiasticorum scriptorum, qui intra trecentos circiter annos a temporibus Apostolorum.... floruerunt*²⁾, duae praecedunt praefationes, lectu dignissimae, quarum altera Anabaptisticae sectae originem, altera auctoritatem consensus ecclesiae et catholicae traditionis tractat. Tum sequitur ecclesiasticorum testimoniorum continuata series³⁾. Appendicis loco additi sunt: Brevis expositio

¹⁾ Vid. *Acta* hujus colloquii, anno 1565 habiti, apud C. *Opp.* p. 1234—1240. Scripturae loci, ad infantium baptismum probandum allati, hi sunt: Act. 10, 47 (Annotat C. ad h. l. "Argumentum Petri hujusmodi erat: Quicumque capaces sunt Spiritus Sancti et gratiae Dei, iidem capaces sunt et baptismi; sed gentes incircumcisae capaces sunt Spiritus Sancti et gratiae Dei, ergo et baptismi. *Eodem modo et ecclesia ratificatur: Quicumque capaces sunt regni Dei et gratiae ac benedictionis Christi, iidem capaces sunt baptismi, sed infantes capaces sunt regni Dei, ergo et baptismi*"); Marc. 10, 14; Act. 2, 39; Matth. 11, 28; sed summum pro infantium baptismo argumentum ducere videtur Cassander ex circumcisione.

²⁾ *Opp. C.* p. 669—700.

³⁾ Quae incipit ab Irenaeo. Nec tamen verba ex Irenaeo prolata, quaequam pro infantium baptismo decernunt. Haec sunt (*Adv. haeres.* III. cap. 39): "Omnes venit (Christus) per semet ipsum salvare. Omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores." Vid. de hoc loco Hagenbach, *Dogmengesch. 3ae edit.* p. 161.

de auctoritate consuetudinis universalis baptizandorum infantium, et variis ritibus baptismi celebrandi (p. 692), et Locus de auctoritate ecclesiarum Apostolicarum, ex Tertulliano (*de praescriptionibus adv. Haeret.*) petitus (p. 699). — Majoris est amplitudinis alterum Cassandri scriptum, quod dedicatum est Hermanno, Comiti „a Nowenarn et Morsae” [sic!], atque inscriptum: *De baptismo infantium, doctrina catholicae ecclesiae, divinarum literarum testimoniis explicata* ¹⁾. Continet trium harum thesium expositionem:

1. „Salutem et vitam aeternam non pertinere ad omnes infantes, ctiam infidelium, et eorum, qui sunt extra ecclesiam: sed ad eos tantum, qui intra ecclesiam Christi Christo offeruntur, et per baptismum sanctificantur et consecrantur (p. 707).

2. Infantibus etiam in ecclesia natis regeneratione et renascentia, id est, remissione peccatorum et adoptione opus esse, ad regnum Dei consequendum. (p. 721).

3. Iis, quibus regeneratione et renascentia opus est, ad regnum Dei consequendum, baptismum quoque adhiberi debere, quod hujus regenerationis est Sacramentum.” (p. 725).

Hic etiam libellus supplementa quaedam annexa habet, quibus ceremoniae quaedam baptismi et nonnullae quaestiones (v. c. „de statu infantium, qui, in ecclesia nati, citra baptismi Sacramentum moriuntur”) uberius exponuntur. Et hinc Cassandrum dotes sibi concessas non dissimulare, non opus est dicere; quanquam negari non potest, interpretandi ejus rationem, quam cum dogmaticis opinionibus in concordiam redigere co-

¹⁾ p. 701—773.

netur, in universum simplicitate carere. At tamen libellus *De baptismo infantium* tot continet indicia accuratae disquisitionis et plenae notitiae, non tantum adversarum partium sententiarum, sed scriptorum etiam ecclesiasticorum, ut minime miremur, quod Cassandri amici et hunc libellum valde laudarunt ¹⁾).

Tandem vero videamus, quid Cassander, Ferdinandi Imperatoris mandato, pro pace ecclesiastica egerit. Notum est, quam strenue princeps ille rei operam navaret, a praesulibus Romanis, Pontifice adeo, nimis neglectae, quin imo prorsus prohibitae: adversarum dico ecclesiasticarum partium reconciliationem. Antea quum omnem spem posuisset in concilio Tridentino, jam usu compertum habuit, ab illa synodo, quippe quae plane a Papae nutu penderet, nihil boni sperandum esse. Quid enim factum erat de omnibus iis Reformationis consiliis, aut ab ipso, aut a consiliariis propositis ²⁾? Hinc explicandum est, Imperatorem,

¹⁾ Scribit amicus ejus Andreas Maesius: „Satis intelligo, mi C., te ad hujusmodi argumenta tractanda natum eruditumque esse; perge ergo, aut potius sequere macte virtute, quo divinus te afflatus ducit: et cave, ne dum pulentiusculus de te ipse minus bene sentis ac debes, ingenii tui alacritatem impediās, mentisque vigori nebulas quasdam offundas. Non tu, mi C., jejunus es in tuis argumentis, nisi me amor in te meus judicantem impedit, sed occurrunt tibi dicenda, quae opus est, omnia, et suavi καὶ αὐτόχρονον oratione omnia fluunt, qui stilus in rebus sacris tractandis mihi probatur maxime: quorsum enim illa Calviniana σύρματα, et inutilis orationis luxuries, nisi ad faciendum auditori vel lectori fucum.....” (Burman, o. l. II. p. 284).

²⁾ V. c. Fredericus Staphylus, qui, postquam per aliquod tempus Protestantismi causam amplexus erat, postea denuo in ecclesiam Romano-catholicam rediit, et ab anno inde 1554 Imperatori a consiliis erat, scripsit anno 1562 *Consilium de reformanda Ecclesia ad imperatorem Ferdinandum I* quod videre licet in Schelhornii *Amoenitat. histor. eccl. et litt.* II. p. 501—546. Jure arbitratur Schelhorn (p. 499): „Romae si talia profiteri auctor non esset ve:itus, laqueum flam-

qui ante omnibus quasi nervis contendisset, ut concilium illud ne dissolveretur ¹⁾, dein eo facilius huic dissolutioni assensum esse, quo magis ei persuasum esset, „concilium ejusmodi esse, ut magis e re ecclesiae futurum fuisset, si nunquam esset convocatum; religionem catholicam, etiamsi per multos adhuc annos deliberationes haberentur, restitutum non iri, sed potius ansam praeberi ad ecclesiam deserendam” ²⁾. Quum igitur, quam in ecclesiae gubernatoribus posuisset, spes eum plane destituisset, ad moderatos et pacis studiosos theologos profugit, quorum opiniones de optima pacis restaurandae ratione et clericorum ordinis emendatione, perciperet. Praeter Staphylum, de quo jam vidimus, Georgium Wicelium ³⁾ etiam et Cassandrum in consilium adhibuit. Hic autem, die 22 Maji anni 1564, accepit ab ipso Imperatore scriptam epistolam,

masve cum vix evasurum fuisse.” Liber enim, quo tam aperte abusus ecclesiastici reprehendantur, et conciliorum auctoritas papali praeponatur, non potuit non odiosus esse praefectis Romanis.

¹⁾ Vid. quae scripsit hac de re ad Pium IV pontificem (Schelhorn, o. l. l. 400—410.)

²⁾ Vid. Friedrich, o. l. p. 16. Cf. Schröckh, *Kirchengesch. seit der Reformation*, IV. p. 225.

³⁾ Wicelius haud minus quam Staphylus, Balduinus atque alii multi, in eum hominum ordinem referendus est, qui ad Romanam ecclesiam, a qua ante defecerant, postea denuo reversi sint. Multis annis in peregrinatione peractis, prius sedem fixit apud Joannem de Fulda abbatem, cui in Reformationis consiliis magno auxilio erat; dein apud Electorem Moguntiacum, ubi anno 1573 mortem obiit (Schröckh, l. l. p. 242 seqq.). — Quod, mandato Ferdinandi Imperatoris, anno 1564 composuit scriptum: *Via regia, sive de controversis religionis capitibus conciliandis sententia*, editum est ab Hermanno Conringio anno 1650. 4^o., et iterum anno 1669, una cum Cassandri Consultatione. Totus ille libellus et praesertim *Appendix de abusibus (Enumeratio abusuum ac incommodorum quorundam ecclesiae Romanae in causa propria deprehensorum)*, magnum veritatis amorem, sed simul animum nimis acerbum prae se fert.

ad hunc finem, ut quamprimum, dispositis rebus privatis, Viennam veniret, ibique ad duos aut tres menses, prudentiam suam, consilium et industriam in quodam magni momenti negotio adhiberet, „viaticum accepturus,” sic scribebat Ferdinandus, „300 florenorum, cura et opera Joannis Lang, Commissarii nostri, Spiraë existentis, et, si fieri poterit, aliquot libros etiam theologicos, ad hoc seculum nostrum accommodatos, tecum adferas” ¹⁾. Quum vero Cassander, ob continuum languorem et creberrimos morbi cruciatus, Caesareae Majestatis de se judicio aliqua ex parte respondere non posse, diceret; sed simul, se non detrectaturum, si quid absens ad eam rem vel scribendo, vel cum aliquo erudito pio viro conferendo, praestare posset ²⁾, — benigno animo ad hanc propositionem Imperator accessit, qui praeterea de voluntate sua ita Cassandrum certiore fecit ³⁾: „Recordamur, super articulis Augustanae confessionis, quae . . . anno 1530 exhibita fuit, una cum Apologia ejusdem confessionis, concordiae et unitatis sarcindiae gratia, antehac in sacro Romano imperio . . . saepius conventus, colloquia et tractatus institutos fuisse, et utcumque tales conventus et tractatus non omnino sint sortiti plenum et optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes seu disputantes de nonnullis articulis, non postremis, quadantenus convenisse, reliquorum vero, qui adhuc sunt in controversia, non usque adeo magnum esse numerum. . . . Cupimus proinde abs te compilari primo quoque tempore summarium quoddam doctrinae catholicae, in quo praeter antiqua et indubitata dogmata fidei catholicae, in confessione Augustana

¹⁾ *Opp. C.* p. 902. ²⁾ *Opp. p.* 903. Cf. *Epist.* 74 (*Opp. p.* 1176.)

³⁾ *Opp. C.* p. 904.

comprehensa, quae semper fuerunt extra controversiam posita, inprimis explicentur illi omnes articuli dictae Augustanae confessionis, qui vel jam hinc inde inter eruditos utriusque partis ad concordiam sunt deducti, vel pro constituenda unitate et quiete adhuc possunt, salva veritate catholica, concedi et indulgeri: adductis praeterea rationibus brevibus et substantialibus, cur in reliquis, qui forte supererunt, ecclesia catholica cedere non possit. Deinde colligantur illi quoque articuli, qui nunc quidem ab iis, qui Augustanam confessionem profitentur, contra religionem catholicam vocantur in controversiam, quibus tamen ipsa confessio Augustana saltem expresse non contradicit, vel quos etiam ex parte approbat. Postremo recitentur etiam succincte aliae quaedam opiniones, partim reprobatae, partim etiam fanaticae, quarum nonnullae quidem ante editam Augustanam confessionem, multo major vero pars ab eo tempore citra orbem Christianum invasere, quae nec ipsi confessioni Augustanae, multo minus catholicae religioni congruunt." In fine harum literarum monetur Cassander, ut opus illud absque omni mora in Dei nomine aggrediatur. „Nunc vero jussimus," sic concludit Imperator, „tibi a commissario nostro... Georgio Lang numerari centum florenos, quos ab eo accipies, gratiam nostram de cactero quoque exspectaturus." — Brevi post mortuus est Ferdinandus, die Jacobi Apostoli (25ti Julii), postquam per longum temporis spatium piis meditationibus precibusque se ad vitae exitum praeparaverat ¹). Nec tamen hac re Cassandri operi finis impositus est; nam Ferdinandi filius et

¹) Vid. Matthiae Cithardi, qui Imperatori erat a concionibus aulicis et confessionibus sacris, epistola ad Pium IV pontificem *De Caesaris Ferdinandi obitu*, apud Schelhorn. o. l. I: p. 684—692.

successor, Maximilianus II, cui, aequae ac patri, ecclesiae salus curae cordique erat, nihil magis optabat, quam ut illius labores felicissimum habituri essent successum. Quam ob rem identidem sciscitandum curabat, quousque Cassander in scribendo jam progressus esset. Tandem igitur labore saepius novis morbi tentationibus interrupto, in fine anni 1564 vel initio anni 1565, Maximilianus voti damnatus est ¹⁾.

Jam vero oculos convertamus in ultimum Cassandri scriptum ²⁾, ejus tanquam „cygneam vocem,” qua semel etiamnum sententias sibi proprias exponit; nam, quamvis in ultima vitae parte alii etiam opusculo operam daret, *De non puniendis haereticis*, id quominus ad finem perduceret, mors prohibuisse videtur. Consultationi antecedit praefatio, qua in universum de principiis agit, quibus haec disputatio, de religionis causa suscepta, nitatur; quam tamen, quum pro maxima parte cum antea dictis consentiat, silentio praeterire possem, nisi Cassander, ubi de „universali antiquitatis consensu” agitur, sententiam suam in opere *De officio pii viri* atque aliis locis pronuntiatam, illustrasset magis atque amplificasset. Dicit enim ³⁾: „Elucet hoc publicum ecclesiae testimonium maxime in iis scriptoribus atque scriptis, quae fuerunt ab aetate Constantini usque ad aetatem Leonis, vel etiam Gregorii.... Cur autem hujus temporis exemplum potissimum pro-

¹⁾ Vid. *Epist. C.* 83—89.

²⁾ *De articulis religionis inter Catholicos et Protestantos controversis Consultatio ad invicissimos imperatores Augustos Ferdinandum I et Maximilianum II ejus successorem.* Opp. p. 909—1014. — In fronte gerit verba Pauli Rom. 14, 19: „Itaque, quae pacis sunt, sectemur, et quae aedificationis sunt invicem.”

³⁾ p. 894 seqq.

ponendum sit, multae sunt causae. Primum, quia tum per varia certamina, eruditissima scripta et gravissima concilia, praecipue omnes de summis religionis nostrae capitibus controversiae diligentissime et fidelissime pertractatae et disceptatae fuerunt, et sincera Apostolorum doctrina et vera divinarum literarum intelligentia adversus haereses.... liquidissime declarata fuit et explicata. Deinde, quia ea aetate ecclesia.... per universum fere orbem libertati fuit restituta, optimaque ratione et illi statui convenienti administrata. Itaque illi aetati maxime cum conditione ecclesiae nostrae tempestatis convenit. Adhaec quia ea aetate sanctissimi et doctissimi antistites exstiterunt, qui acceptam per manus a majoribus inde usque ab Apostolis doctrinam fideliter conservarunt, et ecclesiis summa fide et diligentia tradiderunt, et ab omni ambitione, avaritia, inscitia, longissime abfuerunt. Quare constat, ad instaurandam ecclesiam et pacem conciliandam, formam ecclesiae illius aetatis, quae ex scriptis disertissimis et copiosissimis, quae hodie exstant, comprehendi et perspicui potest, imprimis valere." Consultationis autem ipsius cursus hic est, ut omnes Augustanae confessionis articulos auctor percurrat, eosque observationibus instruat, in quarum tamen expositione eo breviores esse possumus, quod ad multa de iis, quae hic nobis occurrunt, jam antea animum attendimus.

ARTICULUS I.

De unitate divinae essentiae in tribus personis.

Hic Artic. extra omnem controversiam et dubitationem positus est. Hoc tantum adnotari potest, „hunc articulum, quamvis habeat firma et certa testimonia divinarum literarum, tamen hanc distinctionem et ex-

pressam confessionem et appellationem personarum in ecclesia receptam et observatam esse ex antiqua et perpetua traditione, decreto concilii Niceni, et concordii ecclesiasticorum scriptorum testimonio consignata; *ut vel hinc appareat, quae vis sit catholicae traditionis, in praecipuis quoque fidei controversiis.*"

ART. II.

De peccato originis.

Et hic art. catholicae traditioni consentaneus est.... „quanquam explicatio, seu definitio, quae additur voci *peccati*, nempe: esse sine metu, sine fiducia erga Deum, a nonnullis reprehensa fuerit, existimantibus haec ad actuale potius peccatum, quam ad originis vitium pertinere.... Satius erit, si ea definitio retineatur, quae in libro est a Caesar. Majest. oblato Ratisbonae, nempe: peccatum originale esse carentiam, seu defectum originalis justitiae, debitae inesse, cum concupiscentia," justitia autem originali bene et ex recepta in ecclesia sententia, explicata in definitione Caesar. Majest. quae vulgo *Interim* dicitur. „Controversia de vitiosa illa concupiscentia, quam constat etiam post baptismum esse reliquam, sitne propria ratione peccatum, etiam postquam baptismo remissa est?.... haec vocis magis, quam rei contentio esse videtur." Nam illa concupiscentia jure a nonnullis peccatum appellata est, „non modo, quia peccato facta est, sed quod fomes sit et incentivum peccati, et dominationi mentis resistit.... Infirmetas vero illa reliqua, quamvis mala et vitiosa sit, tamen ad peccatum non deputatur, nisi illi ad illicitos actus inclinanti consentiatur."

ART. III.

De incarnatione filii Dei.

„Tertius Art. de incarnatione filii Dei, et assump-

tione humanae naturae in utero virginis, ex Apostolica doctrina et catholica traditione ad nos pervenit, et gravissimorum conciliorum Ephesini et Chalcedonensis decretis, adversus Nestorium et Eutychem jam olim vindicatus est." Lutheranorum doctrina *de communicatione idiomatum*, secundum quam humana Christi natura totius majestatis divinae particeps sit, „hactenus in ecclesia Christi inaudita fuit," et ab omnibus, tam veteribus ecclesiasticis, quam recentioribus scholasticis, satis refellitur.... „Illud vero novum et inauditum, quod ex hac immensitate humanitatis Christi, praesentiam corporis Christi in Sacramento Eucharistiae confirmant, quam alii magis et rectius ad divinam voluntatem et omnipotentiam referunt."

ART. IV.

De Justificatione.

„Quod in quarto art. dicitur, homines non posse justificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificari per fidem, semper in ecclesia probatum et retentum fuit, et hodie quoque ab ecclesiasticis scriptoribus approbatur.... Quare cum Catholici hodie ita doceant, non sunt haeresi pelagiana falso onerandi.... Ad justificationem autem consequendam requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahae ad promissionem Dei non haesitet per diffidentiam, sed praeter spem in spem credat: Deum videlicet, credenti in eum, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, imputaturum hanc fidem ad justificationem, et peccata non imputaturum, et eum, qui mortuus erat peccato, per Spir. S. vivificaturum.... Quod autem Protestantes passim urgent, *sola* nos fide

justificari, tolerabilius est, cum interpretantur, se in fidei nomine gratiam, quae ei ex adverso respondet, intelligere, ut idem sit, sola fide justificari, quod sola gratia, non ex operibus, justificari. Item, cum ab hac fide non excludunt poenitentiam, timorem Dei, fiduciam, dilectionem, denique obedientiam erga Dei legem propositam....”

„ De ipsa autem justitia, qua justificamur, magna hactenus certamina exstiterunt, aliis in sola Christi justitia nobis imputata, aliis in justitia novae vitae nobis communicata, justificationis formam ponentibus.... Hoc quidem extra controversiam est, justitiam illam qua justificamur consistere in remissione peccatorum, h. e. cum propter meritum passionis Christi, quam suscepit nostri causa, peccata nobis non imputantur.... Verum hinc rursum necesse est, ut ii, qui Protestantes vocantur, reliquis Catholicis in eo consentiant, qui dicunt, hanc justificationem seu justitiam, qua justificamur, non in sola remissione peccatorum, sed etiam in renovatione interiore hominis esse positam, cum per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, et nova creatura efficimur, nec solum dicimur sed etiam vere justii efficimur, et ad opera justitiae facienda praeparatur, ut justificandi verbum non solum significet absolvi a peccatis, sed etiam justitia donari, et ex impio justum effici....¹⁾. Atque hanc justitiam hodie

¹⁾ Ingeniosa mihi videtur argumentatio, hoc loco ex Rom. 5, 19 petita: „Sicut peccatum a primo parente contractum, a quo peccatores dicuntur, non in solo reatu et imputatione consistit, sed etiam vitii et culpae, qua natura depravata et infecta est, rationem habet: ita justitia illa, quae nobis per Christum restituitur, non in sola imputatione posita est, sed vera quoque justitia est, qua natura et voluntas depravata corrigitur et sanatur.”

plerique *inhaerentem*, scholastici *habitualem* appellant, ex qua altera illa nascitur, quae exercitio bonorum operum constat, quam *actuaalem* nominant.... Quare causa non est, cur ii, qui Protestantes vocantur, hanc justificationis definitionem defugiant."

ART. V.

De ministerio Verbi externi et Sacramentorum.

„Quod docent, per verbum Dei dari Spiritum S., non satis convenit cum divinis literis, quae tradunt, Spir. S. non dari, nisi jam credentibus: imo per fidem accipi Spir. S., id quod in Apologia quoque agnoscunt. Sed esto, intelligamus per ministerium verbi effici in hominibus fidem, quae donum est Spiritus Sancti, hoc modo addendum est, externi istius verbi ministerium, quamvis necessarium, inutile tamen esse, nisi intus Pater per unctionem Spiritus doceat..... Quod autem in hoc articulo dicitur, per Sacramenta tanquam per instrumenta dari Spir. Sanctum, qui fidem efficiat, non satis consideratum dictum videtur, nisi per illud *confirmationem* et *incrementum* fidei intelligas, aut nisi ad infantes referas, quos, (ut ait Augustinus), Sacramentum fidei fideles efficit."

ART. VI.

De bonis operibus fidelium.

„Sextus Art. magna ex parte cum catholica professione convenit. Omnes enim tam veteres, quam recentes, communiter docent, fidem debere bonos fructus parere, ut quae sine operibus mortua sit. Item, quod oporteat bona opera facere a Deo mandata.... Omnes.... uno ore profitentur, remissionem peccatorum et gratiam justificationis neminem suis quamvis in speciem bonis ope-

ribus mereri.... Sed ut tota haec de fide et operibus disputatio melius intelligatur, illud tenendum est, triplicem, tum in euangelicis literis, tum in ecclesiasticis scripturis, justificationem extare; *prima*, qua prorsus infidelis, et alienus ab ecclesia Christi, per fidem et fidei Sacramenta, in Christo regeneretur, atque ea est, quae proprie... ab Ambrosio sola fide, i. e. sola baptismi gratia, obtineri dicitur. *Altera* est, qua amissa per peccatum iustitia recuperatur, ad quam obtinendam Pœnitentiae Sacramentum est institutum. *Tertia* est, qua ex dono iustitiae nobis infuso et communicato juste operamur, Dei voluntati paremus, et ad ejus imaginem paulatim renovamur.... De hac quoque iustitia, quae in obedientia divinorum mandatorum posita est,... illud ab universa ecclesia diligenter asseritur, eam potissimum in fide remissionis peccatorum, et Dei misericordia per intercessionem sanguinis Christi consistere, cum per se ipsa impura et imperfecta sit, de qua multa et praeclara antiquitatis testimonia adferri possunt... Haec etiam dicta sint ad vigesimum Articulum, in quo de bonis operibus copiosius agitur."

„De operibus *impiorum* uno ore pronunciant omnes, nihil illis inesse meriti et virtutis, ad gratiam Dei... conciliandam, eo quod non oriantur ex fide et gratia, qui fons est bonorum operum, et quia non referuntur ad verum Deum, qui finis est, ad quem omnia bona referri debent, ideoque non solum inutilia, sed etiam mala, et peccata plerunque dicuntur.... Restat nunc medium quoddam genus operum, quod fit ab iis, qui jam aliqua agnitione peccati compuncti sunt, et semina quaedam ac initia fidei conceperunt, nondum tamen plenam justificationem et gratiam sunt consequuti, quae opera *praeparatoria* vocari solent. De

his quoque operibus contentio nulla erit:.... Omnes enim agnoscunt, opera hujusmodi esse dona Dei per Spir. S., quibus ipse eorum, quos justificare constituit, animos movet, disponit et praeparat, et quasi subigit, ad hanc justificationis gratiam consequendam."

ART. VII.

De Ecclesia.

Quod dicitur, „ad veram ecclesiae unitatem satis esse consentire de doctrina Euangelii et administratione Sacramentorum, non satis est, ad schismaticos ab ecclesiae societate segregandos.... Requiritur.... ad hanc unitatem ecclesiae, praeter doctrinae et morum similitudinem, etiam unitas animorum, h. e. ut cum ea ecclesia communionem et societatem agnoscas, quae ab Apostolis in universo terrarum orbe constituta, et per successionis traducem ad nos usque propagata est. *In hac sane unitate animorum potissimum spectanda est obedientia, quae debetur ecclesiarum praefectis, qui inde usque ab Apostolis per successionem ecclesiam Dei gubernandam et verbo vitae pascendam susceperunt, qui etsi non semper eadem fide officium suum praestiterunt, in illis tamen, quae officii sui sunt, obtemperari illis necessum est, tum in auditu verae doctrinae, tum in legitimo usu Sacramentorum, tum in disciplina et correctione ecclesiastica, quomodo prophetas, Christum et Apostolos, ministerio pontificum, sacerdotum et Pharizaeorum usos legimus; sic tamen, ut huic mandato Christi pareamus, qui ita jubet scribas et Pharizaeos, sedentes etiam in cathedra Moysi audiri, ut tamen a fermento ipsorum tum vitatae doctrinae, tum vitae corruptae, caveri moneat.*"

Sed „ad hanc unitatem retinendam, in primis opus

est scire, quae sit vera catholica et Apostolica ecclesia, quae Christi corpus et sponsa dicitur. Item, qui sint hujus ecclesiae praepositi, quibus Spir. S. ecclesiam ordine post Apostolos regendam commisit.

„Est.. illa vera Christi ecclesia, quam constat ab Apostolis per universum orbem constitutam, et per successione traducem ad nos usque propagatam: habet enim haec promissionem a Christo, quod ab ea nunquam sit recessurus [Matth. 28, 20; Joa. 14, 16].... Et quamvis praesens haec ecclesia non parum, in morum et disciplinae integritate, adde etiam in doctrinae sinceritate, ab antiqua illa, unde orta et derivata est, dissideat, tamen eodem fundamento doctrinae et Sacramentorum divinitus institutorum, firma semper constitit, et communionem cum antiqua illa et indubitata Christi ecclesia agnoscit et colit, quare alia et diversa ab illa esse non potest, tametsi multis in rebus dissimilis sit. *Manet itaque Christi ecclesia et sponsa*, quamvis multis erroribus et vitiis sponsum suum irritaverit, quamdiu a Christo, sponso suo, non repudietur, tametsi multis flagellis ab ipso castigetur. Haec olim Lutherus ¹⁾, et qui eum initio sequebantur, ingenue agnoverunt.” Et recte quidem: nam „frustra obijciuntur a nonnullis non tolerandi errores et immania scelera Romanorum pontificum et episcoporum, ex quo consequens esse volunt, ecclesiam pontificiam, seu, ut appellant, *papisticam* non esse veram ecclesiam Christi. Verum nil tam grave in pontifices nostros dici potest, quod non in pontifices et sacerdotes Judaici populi conveniat: quorum tamen improbitas non effecit,

¹⁾ In margine citantur *De virtute excommunicationis* et *In excusatione quorundam Articulorum*.

quo minus vere Dei populus esset, qui eorum gubernationi subiciebantur.... At dicent aliqui se non exiisse, sed injuste repulsos fuisse, quod ut concedatur, non tamen vinculum pacis cum universa Christi ecclesia erat abrumpendum, sed animo et voluntate unitatis studium retinendum....¹⁾ Denique nulla ecclesiae firma pax speranda est, „nisi ab iis initium fiat, *qui distractionis causam dederunt*, h. e. ut ii, qui ecclesiasticae gubernationi praesunt, de nimio illo rigore aliquid remittant, et ecclesiae paci aliquid concedant, ac multorum piorum votis ac monitis obsequentes, manifestos abusus ad regulam divinarum litterarum et veteris ecclesiae, a qua deflexerunt, corrigant. Deinde proximum erit, ut, qui vitantes vitia longius in contrarium abrepti sunt, culpam quoque suam agnoscant et ad sanitatem redeant.

„Quod autem ad unitatem hujus externae ecclesiae requirunt obedientiam unius summi rectoris, qui Petrum in regenda Christi ecclesia et ejus ovibus pascendis successerit, non est a consensu priscae quoque ecclesiae alienum.... Constat etiam olim, quatenus exstat memoria ecclesiae, praecipuam semper auctoritatem in

¹⁾ Afferitur hic (p. 930) Cypriani exemplum, qui, quum se suosque a Stephano urbis Romae pontifice, et episcopis ac clero Italiae injuste damnari putaret, nec tamen a consortio et societate illius ecclesiae recederet. „Et habebat ille quidem,” sic pergit Cassander, „haud leves discessionis causas, cum Stephanus, episcopus urbis Romae, cum a sua communione, quod in ipso erat, repelleret, et episcopos ad ipsum ex Africa legatos nec ad sermonem communis colloquii admitteret, et praeciperet universae fraternitati, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communicatio, sed et tectum et hospitium negaretur: insuper et Cyprianum ipsum *pseudo-Christum et dolosum operarium* diceret.” Cf. W. Moll, *Het kerkelijk leven*, II: p. 285 seqq.

universa Christi ecclesia episcopo Romano, ut Petri (*successori?*¹⁾) et ejus cathedram obtinenti, delatam fuisse.... Neque unquam credo controversia apud nos ea de re extitisset, nisi pontifices Romani hac auctoritate ad dominationis quandam speciem abusi fuissent, eamque extra fines, a Christo et ecclesia praescriptos, ambitionis et cupiditatis causa extulissent...."

„In hoc quoque de ecclesia art. additur, non esse necesse ad ecclesiae unitatem, ubique similiter esse traditiones et caeremonias ab hominibus institutas: quod certe fieri possit, si de particularibus ritibus, qui pro temporum et regionum diversitate variantur, intelligas.... Verum hoc meminisse oportet, eam fuisse perpetuam ecclesiae sententiam, et eos ritus et consuetudines, quae antiquitus toto terrarum orbe servantur, inviolabiliter esse retinendas...." (Conf. quae Cassander, in libello *De officio*, de caeremoniis scripsit, et vid. supra p. 88 seqq.).

ART. VIII.

De Sacramentorum administratione.

„Quod in 8vo Art. dicitur de usu Sacramentorum, licere uti Sacramentis, quae per malos ministrantur, totius ecclesiae confessioni consentanea sunt.... Atque hoc est, quod Scholastici dicunt, Sacramenta conferre gratiam ex *opere operato*, h. e. ex virtute, quam ex Christi instituto et pacto insitam habent, non ex *opere operantis*, h. e. ex merito suscipientis vel administrantis. Quare longissime hic Protestantes ab universali ecclesiae intellectu, imo vero a communi sensu recesserunt, cum ad tuendam hanc propositionem: non

¹⁾ Omissum est hoc vocabulum, quod tamen, ad locum rite intelligendum, necessarium esse videtur.

Sacramentum fidei, sed fides Sacramenti justificat (quae propositio in adultis aliquo modo locum habere possit), eam ad infantes etiam transtulerunt.... Quapropter hic error omnino refellendus est, ut qui primus Anabaptistarum errori ansam dederit." Hi enim hunc in modum ratiocinati sunt: „manifestum est eos (infantes) non credere, non sunt igitur baptizandi."

ART. IX.

De baptismo infantium.

„Qui nono loco sequitur art. de baptismo parvulorum, nil habet, quod merito improbetur.... Huic Sacramento baptismi conjunctum est alterum Sacramentum, religiosissime semper in ecclesia observatum.... quod impositione manuum et consignatione chrismatis, quo Spiritus Sancti donatio administratur, perfici, et per solos episcopos administrari consuevit... De hoc quoque dissidium nullum futurum sperem, si ab ipsis episcopis ea, qua decet, gravitate administraretur.... De tempore quoque *Confirmationis* video bonis viris utriusque partis non displicere, si ejus usus ad aetatem paulo adultiorem differatur, quod, quamvis praeter antiquae ecclesiae consuetudinem sit,.... tamen exemplo non prorsus caret." Ita etiam „parentibus, susceptoribus et ecclesiarum praefectis occasio datur, pueros de fide, quam in baptismo professi sunt, diligentius instituendi et admonendi."

ART. X.

De coena Domini.

„.... Huic controversiae locus relinquitur: Sitne corpus et sanguis Christi praesens in ipso tantummodo vescendi usu? quod jam aperte ab omnibus

docetur, et in confessione Saxonica disertis verbis exponitur, ... cum ecclesia, non praesens modo, verum etiam antiqua et catholica, semper senserit et docuerit, hoc Sacramentum non in sola actione et usu consistere, sed post ipsam consecrationem, ... de panis et vini substantiis fieri corpus et sanguinem Domini, neque benedictionis virtutem amitti. ... Hoc tamen rursum concedendum est, quamvis hoc Sacramentum Eucharistiae, ratione praesentiae corporis et sanguinis Christi, ex ipsa consecratione verum Sacramentum corporis et sanguinis Christi efficiatur, tamen, si virtutem et efficaciam spectes, qua Christo unimur et incorporamur, hoc Sacramentum, ut reliqua Sacramenta, in ipso usu et actione, (quae est sumptio seu manducatio et potio), perfici, quae externa sumptio Sacramentum est internae et spiritualis manducationis et portionis corporis et sanguinis Christi, qua fit ut Christo uniamur et incorporemur. ...

„De *transsubstantiatione* vero si cui haec vox nova [et] insolens videatur, certe inficiari non poterit, apud vetustissimos et gravissimos ecclesiae scriptores, voces (*conversionis, transmutationis, transformationis, trans-
elementationis*) passim reperiri. Quamvis autem de modo hujus conversionis variae extent sententiae, tamen omnes in hoc caput conveniunt, ut intelligant talem mutationem fieri, qua, qui ante terrestres tantum et communis panis erat, dominicis verbis et invocatione divini nominis, virtute et operatione divina consecratur et efficitur Eucharistia et Sacramentum veri corporis et sanguinis Christi, visibili quidem modo ad Patris dextram sedentis, sed invisibili et incomprehensibili modo hic corpore et sanguine suo praesentis; continetur et exhibetur in cibum et potum spiri-

tualem ad salutem et immortalitatem eorum, qui eo cibo et potu *digne* vescuntur. Hanc autem carnem et sanguinem Christi in Sacramento Eucharistiae pariter a bonis et malis manducari et bibi, sed modo et fine seu effectu diverso, ab his ad iudicium et mortem, et ab illis ad salutem et vitam: a solis vero bonis *vere*, h. e. utiliter et salubriter, manducari et bibi corpus et sanguinem Christi, ut qui soli in Christo maneat et Christus in ipsis. Hanc breviter comprehensam totius antiquitatis sententiam puto...¹⁾.

ART. XI.

De Confessione.

„In undecimo Art. hoc novum est, quod confessionem a Sacramento Poenitentiae separant, cum eam ecclesiastici constanter inter poenitentiae partes numerent... Quod subjiciunt, enumerationem omnium delictorum non esse necessariam, quadam ex parte recte habet,

¹⁾ Cum his conferantur, quae in Epist. 2da ad episcopum Monasteriensem (*Opp.* p. 1020 seqq.) de hac re scripsit. Hic enim episcopus Cassandrum reprehendendum declaraverat, quod assereret, „*solum fructum mortis Dominicae absque corpore et sanguine Christi, juxta opinionem Calvinii, sub Sacramento porrigi.*” Cassander contra semper censuisse ait: „fructum Dominicae mortis, quatenus in Sacramento nobis applicatur, ab ejus vero corpore et sanguine separari non posse,” quam sententiam pluribus analogiis et patrum ecclesiasticorum testimoniis probare conatur, unde appareat, „fructum carnis Christi usque adeo sine ejus carne non dari, ut ea ipsa caro, quae datur, *fructus* sit illius carnis, quae in coelo integra manet inconsumpta.” Quod autem ad Calvinum attinet, nequaquam illum ita locutum esse dicit, ut putet „fructum carnis sine carne ejus nobis exhiberi;” sed discrete affirmare: „Communionem Christi, quae nobis in coena offertur, non in communionem tantum beneficiorum et fructuum passionis esse sitam, sed in communionem ipsius Christi,” quocum conferatur, quod in libro Institutionum passim docetur. — Vid. K. Mattlies, *Symbolik*, p. 576 seqq. et J. H. Scholten, *Leer der Herv. kerk*, 3ae edit. II. p. 283 seqq.

videlicet, si intelligatur de ignotis et non occurrentibus peccatis, idem si intelligatur de nimis anxia inquisitione omnium circumstantiarum, quae in multis conscientiae carnificinam gignit, quam nemo moderatus approbat; verum si referatur ad eam enumerationem peccatorum, qua graviora omnia peccata diligenter expenduntur, et tanquam spiritualia vulnera spirituali medico revelantur, de ea quoque retinenda dubitandum non est. . . . Equidem credo de hac re controversiam nullam fuisse futuram, si non salutaris haec confitendi medicina ab imperitis et importunis medicis multis inutilibus traditiunculis infecta et contaminata fuisset, quibus conscientiis, quas extricare et levare debebant, laqueos injecerunt, et tanquam tormentis quibusdam excarnificarunt. . . .”

ART. XII.

De Poenitentia et Satisfactione.

„Hic . . . primum observandum est, sermonem hunc fieri non de quavis poenitentia, sed de ea, quae post regenerationem ob graviora peccata suscipi solet. . . . Quod subjicitur in lib. confess. Augustanae, constare hanc poenitentiam contritione et fide, quam sequi debeant fructus digni poenitentia, in hac poenitentiae partitione hoc novum est, quod fides poenitentiae partibus adjungitur praetermissa confessione, et contritione postponitur, idque ideo fit, quo contritionis notio praeter ecclesiae sententiam explicatur; non enim contritionis nomine intelliguntur terrores seu horrores incussi conscientiae agnito peccato, sed ex his terroribus contritio nascitur. *Contritionis* autem nomine intelligunt dolorem de peccato, propter offensam Dei, cum proposito abstinendi; qui dolor, gratia Dei infor-

matus, et non modo ex terrore divini iudicii, sed ex fide divini verbi et fiducia consequendae veniae, profectus sit. Si autem contritionis nomine qualiscunque dolor, de admissio peccato, ex terrore legis incussus intelligatur, talis dolor, cum veram et salutarem poenitentiam anteccedat, inter poenitentiae partes non solet nominari, et *attritionis* potius, quam contritionis nomine vocari consuevit. . . .

„De *Confessione*, quae altera poenitentiae sacramentalis pars communiter in ecclesia ponitur, superiori articulo dictum est. Restat tertia pars. . . . De hac *Satisfactione* non tantus erit conquerendi locus, si ex ecclesiae sententia hunc in modum doceatur, quod sola passio et mors unigeniti filii Dei sit satisfactio et propitiatio pro peccatis nostris. . . . Certum est tamen, Deum a poenitentibus, ob graviora praesertim delicta, lachrymas, jejunia, preces, eleemosynas et reliqua vere poenitentis animi indicia ac denique totius vitae in melius immutationem ac emendationem requirere, quod cum facimus, Deo *satisfacere* pro peccato dicimur, non quod precium dignum et sufficiens diluendis peccatis offeramus, sed quod officia illa praestemus, quae Deus a peccatore, cui Filii sui satisfactionem impartiri velit, requirit; quin et hujusmodi poenitentiae fructibus seu satisfactionis operibus Deus placari, peccata redimi et extinguere dicuntur: tum quia, si ex motu et afflatu Spiritus Sancti fiant, ad impetrandam remissionem peccati faciant, et poenas, quas inflicturus erat Deus, avertant, et peccati inhaerentis reliquias extenuent ac minuunt. . . . Hoc autem interest inter actionem poenitentiae, seu exomologesin veteribus usitatam, et eam, quae nunc usu recepta est, quod olim nisi his operibus, ab ecclesiae praefecto injunctis, rite peractis, abso-

lutio et communionis jus, per manus impositionem, non concedebatur, ... hodie vero statim, a facta confessione, manus poenitenti imponitur et ad communionis jus admittitur, et post absolutionem opera aliqua pietatis, quae ad carnis castigationem et reliquiarum peccati expurgationem faciant, injunguntur. ... Plura de poenitentia dici possint, sed haec sufficere puto ad ostendendum ... non recte ecclesiam insimulari, quod doceat, satisfactiones canonicas esse necessarias ad redimendas poenas aeternas. ..."

Quod attinet ad *Indulgentias*, „circa earum usum et praxim optimi quique correctionem et moderationem fieri desiderarunt, ut quae, parum dextre tractatae, hujus dilacerationis ecclesiae praecipuam occasionem dedere. Hic optandum esset, ut Pontifices publicae paci aliquid concedant."

ART. XIII.

De usu Sacramentorum.

„... Quod dicitur in Confessione, fidem in usum Sacramentorum accedere debere, extra controversiam est, si ad adultos referatur, et, si intelligatur, fidem requiri non quidem ad veritatem Sacramenti, sed ad utilitatem percipientis. ... Quod ad infantes attinet, et de *opere operato*, supra ad octavum articulum dictum est.

„... In hoc certe controversia nulla est, duo esse praecipua salutis nostrae Sacramenta, in quibus principaliter salus constat et percipitur, ... nempe sacrum Baptisma, et Sacramentum corporis et sanguinis Domini. ... Cum vero jam aliquot saeculis, praesertim apud Latinos, haec sententia recepta sit, quae Sacramenta ecclesiastica ad hunc septenarium numerum, in

scripturis divinis celebrem, redegit, merito ejus rei causa contendendum non est, praesertim cum reliquae illae actiones sacrae, quae his praecipue Sacramentis annumerantur, et de divinis literis testimonia habeant, et a veteribus Sacramenti nomine peculiari quadam ratione ornata legantur."

ART. XIV.

De ordine ecclesiastico.

„.... Illud.. ad omnem, quae de hoc articulo existere possit, controversiam praecedendam, imprimis conducturum puto, si multitudo illa et turba inutilium sacerdotum minuatur, neque alii eligantur vel ordinentur, quam quibus ad ministerium ecclesiasticum opus est, h. e. praeter episcopos, per singulas civitates ampliores, territoria (quae *dioceses* dicuntur), presbyteri seu pastores, qui singulis ecclesiis, (quae nunc *parochiales* vocantur) praesint, cum uno aut altero coadjutore, qui alibi *Capellani*, alibi *Visitatores* dicuntur, qui et in officiis ecclesiasticis diaconorum vices obire poterunt.... Item, illud cavendum erit, ut idonei tantum ad ecclesiae ministerium, et potissimum verbi divini praedicandi munus eligantur, *qui non verbis tantum, sed etiam exemplis, populo praesire possint, et non ea, quae recte docere videntur, contraria actione destruant et evertant....* Sunt autem in his ordinibus ecclesiasticis dignitatum et officiorum quidam gradus,.... quae distinctio non modo utilis, sed ad politiam ecclesiasticam convervandam prope necessaria est;.... ut illi certe merito reprehendendi sint, qui odio abusu,.... universum hunc ordinem, quem *hierarchicon* appellant, ut nervum Antichristi sublatum volunt.... Nec minus illi accusandi, qui.

inani titulo inflati, eoque ad dominatum quemdam, vel etiam ad cupiditatem et avaritiam, abutentes, neglecto quod ecclesiae debent officio, hominibus etiam non malis huic ecclesiastico ordini detrahendi et ab eo deficiendi occasionem dederunt."

ART. XV.

De ritibus ecclesiasticis.

(Quid de ritibus ecclesiasticis Cassander cogitaret, jam antea vidimus. Scribit autem ipse in fine hujus Articuli: „Plura quae huc faciunt, legi possunt apud Hoffmeisterum ad hunc articulum, et in Defensione libelli, *De officio pii Viri*)."

ART. XVI.

De Magistratu et rebus civilibus.

„.... Quaestio restat de officio et potestate civilis Magistratus in rebus ecclesiasticis, in qua utrimque modus exceditur.... Illud autem in hac quaestione extra controversiam esse debet, non minorem esse nec inferiorem potestatem Imperatoris et regum seu principum Christianorum in repub. Christiana, quam olim priscorum regum in republica Israelitica, quorum quod munus in divina lege conservanda et cultu divino promovendo fuerit, satis ex divinis literis est manifestum.... Quorum piorum regum praeclara instituta pii reges Christiani sedulo imitati sunt, ut: Constantinus, Theodosius, Justinianus, Carolus, etc... Itaque eorum imperatorum et principum officium jam olim habitum est, rebus ecclesiae turbatis, concilia antistitum ecclesiae et doctorum in divinis literis virorum convocare, *quae ad constituendam ecclesiae pacem pertinent, diligenter inquirere,*

officii sui ecclesiasticos quoque viros, in tollendis falsis cultibus et sincera doctrina propaganda, commonefacere, atque ad id perficiendum operam quoque suam adjungere, ecclesiae disciplinam legibus communire, transgressores divinarum et ecclesiasticarum traditionum, et *turbatores ecclesiae pacis coërcere*"...¹⁾.

ART. XVII.

De secundo Christi adventu.

Hic Articulus „nullam inter partes controversiam habet.”

ART. XVIII.

De libero hominis arbitrio.

„Articulus 18vus... plane cum ecclesiastica doctrina consentit”... (Sententia, quam hîc etiam Cassander pronuntiat, de *Praedestinatione*, jam exposita est supra p. 47 seqq.)

ART. XIX.

De causa peccati.

„..... Recte in Confessione subjicitur: Causam peccati esse voluntatem diaboli et impiorum, quae, non adjuvante Deo, avertit se a Deo.... De *praescientia*

¹⁾ Cassandri sententiam de civilis Magistratus potestate circa res ecclesiasticas, multi, ut facile explicatur, Reformationis aetate defenderunt; non ii tantum, qui, ecclesia Romana deserta, obedientiam erga principatum ecclesiasticum prorsus abjecerant (Scholten, o. l. II: p. 405), verum etiam ii, qui, non eo usque progressi, tamen Magistratus auxilio quodammodo se indigere putabant, quod valet e. c. de Huberto Duifhuis (Vid. J. Wiarda, *Huibert Duifhuis, de prediker van St. Jacob*, Amstelod. 1858, p. 99, et locos ibi allatos). De Remonstrantibus, qui postea eandem sententiam secuti sunt, vid. J. Tideman, *De Remonstrantie en het Remonstrantisme*, Harlemi 1851, p. 84 seqq., imprimis p. 87, ubi Uytenbogaertii verba citantur.

vero divina, quamvis confitendum sit, illi omnes tam pravas quam bonas actiones hominum esse subjecta, tamen falluntur, qui ex ea ob certum ordinem causarum et rerum, aut fatalem necessitatem, sublata omni voluntatis libertate, contexuerunt, aut, libertate voluntatis et contingentia rerum concessa, praescientiam tollendam putaverunt, quoniam utrumque simul esse non posse arbitrantur....” Recte autem Augustinus de hac quaestione disputans, haec summatim concludit ¹⁾: „Nos.. Deum dicimus scire omnia, antequam fiant, et voluntate nos facere, quicquid a nobis non nisi volentibus fieri sentimus et novimus. Non est autem consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nil sit in voluntatis nostrae arbitrio.... Qui omnes rerum causas praescivit, profecto in iis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit.”....

ART. XX.

De bonis operibus.

„De 20mo Articulo dictum est supra ad Articulum 6.”

ART. XXI.

De cultu Sanctorum.

„... Quatuor modo restare video, de quibus inter eos, qui Catholicae ecclesiae et Evangelii nomen praeferunt, contenditur; quorum.

Imum est *de interpellatione, seu... Invocatione Sanctorum...* Certum est, quod hac interpellatione adoratio illa et cultus, qui soli Deo debetur, non imminuitur, cum sanctos Dei, non ut Deos et largi-

¹⁾ „*De civit. Dei*, V:8.”

tores bonorum, sed ut *condeprecatores* et *impetratores* appellemus. . . . Falsum apparet, quod Apologia scribit, nullos veteres scriptores ante Gregorium fecisse mentionem invocationis, cum aliquot seculis antecedentium. . . . testimonia in promptu sunt, neque ullo modo credendum est, sanctissimos illos viros ullam doctrinam aut consuetudinem admissuros fuisse, quam Evangelicae et Apostolicae doctrinae adversari, aut gloriae Dei, vel merito Christi detrahere putavissent. . . . Quomodo enim in eo gloriae Dei quicquam detrahitur, cum ille solus fons et largitor omnis boni agnoscitur; neque aliud Sanctis tribuitur, quam ut precibus suis ab ipso fonte et largitore omnis boni, ea, quae nobis ad praesentem vitam utilia et ad futuram salutaria sunt, impetrent? . . . Neque vero Christo mediatoris et intercessoris officium detrahitur, cum ille solus sanguine suo nos redemisse et Deo patri reconciliasse firmissime credatur: Sanctis vero, ut Christo jam familiarius conjunctis, et ob virtutem et praeclara merita, *quae et ipsa Dei dona sunt*, charis, officium tantum pro nobis, quibus, tanquam ejusdem corporis membris, charitatis vinculo conjuncti sunt, deprecandi tribuitur. . . . Itaque tota haec interpellatio ad Deum tendit, a quo solo, quae petimus, concedi posse agnoscimus. . . . Quantum intersit inter preces, quae Deo offeruntur, et eas, quae ad Sanctos et Deo charos homines referuntur, . . . manifeste apparet in publica illa prece, quae *Letania* dicitur: in qua prece Deus, *ut nostri misereatur*, sancti vero et beati spiritus, *ut Deum pro nobis orent*, interpellantur. . . . Non igitur haec, quae de interpellatione Sanctorum dicuntur, eo pertinent, ut simpliciter horum interpellatio ad salutem necessaria putetur, . . . sed ut ne temere universam Christi

ecclesiam damnemus, quae hujusmodi interpellationem, tam regnantium quam peregrinantium Sanctorum, utiles esse ecclesiae judicavit; item, ut nec superbe hujusmodi Sanctorum preces rejiciamus et aspernemur.... Apparet igitur ex his quae diximus, quam nil habeat absurdum, aut divinis literis contrarium hujusmodi interpellatio Sanctorum, si ad eum sensum, quem jam exposuimus, exemplo vetustatis intelligatur: quapropter melius auctoritati et paci ecclesiae consulissent praecipui quidam hujus ordinis Protestantium, si in ea sententia, quam initio cum veteri ecclesia communem habebant, permansissent, atque intra abusuum tantum reprehensionem constitissent....

II. „Quod ad *alterum* locum attinet *de meritis et intercessione Sanctorum*,... cur huic vetustissimae consuetudini tam odiose resistatur, causa non est. Nam primum manifestum est, quam ingens discrimen inter meritum Christi et merita Sanctorum ab omnibus ecclesiasticis scriptoribus constituatur: cum meritum Christi unicum sit precium redemptionis nostrae;... merita vero Sanctorum, opera eorum bona sunt, ex fide et operatione Spiritus Sancti facta, quae Dei in ipsis dona sunt, atque ea tamen pro sua benignitate ita grata et accepta habet, ut propter ipsa non ipsos solum praemiis afficiat, sed aliis etiam ejusdem corporis membris beneficia conferat. Hanc enim communionis sanctorum Deus vim esse voluit, ut membrorum inter ipsa quaedam connexio esset, ut infirmiorum membra firmiorum membrorum virtute sustentarentur. Sane manifestissimum est ex literis divinis, sanctorum hominum merita prodesse aliis (Gen. 18, 26; 2 Chronic. 21, 7; 1 Reg. 15, 4).... Verum tamen et illud fatendum est, et multos et magnos errores, hoc prae-

textu intercessionis et meritorum, in vulgi animos et mores invasisse.... Primus itaque error est, quod impij homines et in peccatis perseverantes,... Sanctorum intercessioni ac meritis temere confidunt, nec ipsi poenitentia ducti preces suas ad Deum adjungunt.... Alter error est, quod homines etiam non mali certos sibi Sanctos, tanquam patronos et tutores, delegerunt, in eorum meritis atque intercessione plus quam in Christi merito fiduciam posuerunt, atque adeo, unico illo advocacy Christi officio obscurato, Sanctos atque imprimis *Virginem Matrem* in illius locum substituerunt.... Hinc illi tituli passim virgini tributi: *Regina coeli*, *Regina est mater misericordiae*, etc.... *Quid quod totum psalterium, sublato ubique Domini nomine, in nomen Dominae commutatum legitur?* Quin et eo ventum est, ut etiam Christus, jam in coelo regnans, matri subiciatur.... ¹⁾. Tertio nonnunquam error accidit in meritis sanctorum, quibus nonnulli sanctificandi et redimendi vim tribuere videntur, quod soli Christo, Deo et homini, proprium est.... Est et hic error haud infrequens, quod, veteribus et compertis Sanctis propemodum neglectis, novos et incognitos vulgus hominum ardentius et impensius colat, de quorum sanctitate obscurius constat, et nonnulli per revelationes tantum innotuerunt, atque adeo de quibusdam, an unquam in rerum natura fuerint, merito dubitatur. Huc etiam referri potest, quod vulgi imperitia divinos honores Sanctis attribuit, ut cum templa, arae, sacri-

¹⁾ Citantur hinc verba sequentia ex hymno quodam ecclesiastico:

„O foelix puerpera,
 Nostra piens soeclera,
 Jure matris impera
 Redemptori ...”

ficia, sacerdotia, vota, festi dies non tantum *memoriae*, sed *honori* et *cultui* Sanctorum consecrata putantur....

III. „*De veneratione reliquiarum* et locorum sacrorum, in quibus Sanctorum corpora vel cineres condebantur (quas *memorias* appellabant), manifestum est, olim hujusmodi reliquias praesertim martyrum,... summo in honore habitas fuisse, ita ut ad illorum memorias solemnes et celebres conventus haberentur, in quibus et sacrificium Deo offerebatur et Sanctorum virtutes praedicabantur ¹⁾. Verum in haec paulatim abusus irrepsit.... Constat quoque posterioribus temporibus nimium reliquiis et memoriis Sanctorum indultum et tributum fuisse, sic ut a bonis quoque viris, pio zelo praeditis, summa quasi religionis in hujusmodi reliquiis conquirendis, auro et gemmis exornandis, et memoriis seu templis sumptuosissimis aedificandis posita putaretur, et ab improbis quoque hominibus falsa fiducia in cultu inepto et superfluo reliquiarum collocaretur.... Accesserunt et alia mala, quod avaritiae causa, ad simplicem populum illiciendum falsae reliquiae supponebantur, et ficta praedicabantur miracula, iisque miraculis populi superstitio alebatur.... Cum igitur verae et compertae reliquiae, praesertim in his provinciis, perpaucae sint... atque illarum frequentatio et veneratio non multum pietati, plurimum vero superstitioni vel quaestui servant, multo consultius videtur, *ut ab omni reliquiarum ostentatione abstinenceatur*, et populus ad veras Sanctorum reliquias colendas, i. e. *exempla pietatis et virtutum*, quae in scriptis vel ab ipsis vel de ipsis extant, *imitanda* provocetur.

¹⁾ Vid. W. Moll in opere saepius laudato: *Het kerkeleijk leven der Christenen*, II: p. 69 seqq.

IV. „Ad *imagines* vero *Sanctorum* quod attinet, certum est, initio praedicati Evangelii aliquanto tempore inter Christianos, praesertim in ecclesiis, imaginum usum non fuisse.... Verum hunc cultum, qui Deo per imagines exhibetur, non satis castum et inconvenientem esse Deo, sed a superstitiosis hominibus excogitatum, ex Paganis quoque prudentissimi animadverterunt.... Cum autem apud Graecos acris contentiones et magni motus imaginum causa extitissent, nec illi sibi constarent,... ecclesia Romana contrafractio- nem omnino damnavit, usum vero, in ecclesia Romana et per totum fere orbem jam receptum, retinendum censuit, quam consuetudinem Romanae ecclesiae.... Gallicanae et Germanicae ecclesiae aliquot seculis diligenter secutae et fortiter tutatae sunt.... Non tamen haec, quae diximus, eo pertinent, ut imagines Sanctorum, si in iis modo decorum servetur, non aliquo honore illis convenienti et debito affici possint, videlicet si ut signa et monumenta Sanctorum hono- rifice habeantur, et in gratiam illorum, quos significant et referunt, reverenter conspiciantur et tractentur, modo ab eximio cultu temperetur, et nil divinitatis et virtutis illis tribuatur, sed eo tantum loco habeantur, quo *literae et voces*, quae rerum absentium, quas diligimus et veneramus, gratam memoriam suggerunt. Alioquin optimum est, populum praesertim hoc tempore ad potiora traducere, et imaginum moderato usu pacis et tranquillitatis causa conservato, ad cultum verae imaginis Dei, i. e. hominis ad Dei imaginem conditi invitare, *qui cultus consistit in egenorum subrentione*, qui non modo imaginem Dei, sed vicem et personam Christi nobis repraesentant.” (Matth.

ART. XXII.

De utraque specie Sacramenti.

(Cassandrum Sacrae Coenae celebrationem sub utraque, vini et panis, specie, acriter defendisse, jam satis superque nobis cognitum est ¹⁾). „... De *adoratione sacrosancti Sacramenti Eucharistiae*, ita ex veterum mente statuendum puto. Cum in hoc Sacramento Christus Deus et homo et corpore et sanguine suo praesentem se exhibeat, consequens est, ut in hoc quoque mysterio adoretur, quae adoratio non ad ipsum signum, quod exterius videtur, sed ad ipsam rem et veritatem, quae interius creditur, referenda sit, quamvis et ipsi signo, cujus jam virtus intelligitur, tanquam religioso et sacro, sua veneratio debeatur.... Consuetudo vero, qua panis Eucharistiae in publica pompa conspicuus circumfertur, ac passim omnium hominum oculis ingeritur, praeter veterum morem et mentem haud ita longo tempore inducta et recepta videtur.... Quare videtur hic *circumgestationis* usus, citra grave ecclesiae damnum, imo cum ipsius lucro (si modo id prudenter fiat), omitti posse, cum et recens sit, et diu, sine ea circumgestatione, Sacramento suus honos constiterit et hodie constare possit. Deinde cum hodie plerumque non devotioni populi, sed pompae magis et ostentationi serviat....

„Antiquum illum ecclesiae ritum, quo infirmi inter preces, exhortationes, consolationes, etiam oleo a presbyteris ex praescripto Apostolico unguuntur, ad designandam internam unctionem Spiritus Sancti, quae est gratia et misericordia, olim primores Protes-

¹⁾ Cf. p. 104 sq., quibuscum hic dicta plane conveniunt.

tantium," Lutherus ¹⁾, Bucerus ²⁾, „non usque adeo detestati sunt... In forma vero verborum, quae inter ungendum usurpantur, fatendum est, veterum morem, qui adhuc in vetustis libris divinorum officiorum exstat, nonnihil immutatum; nam... olim haec unctio non, ut hodie fere, ad extremum usque vitae periculum et valetudinem jam deploratam differebatur, sed, graviore aliquo morbo invadente, hujusmodi orationes et unctiones per septem aliquando dies continuabantur. Idem illud veteribus in more fuit, ut post officium unctionis, si periculum imminebat, corporis et sanguinis Dominici communicatio, quae τελεθῆ et perfectio omnium Sacramentorum habebatur, subijceretur, a quo veteri more licet nonnihil hodie variatum sit, haec tamen tanti esse non debent, ut propterea pax ecclesiae perturbetur et unitatis vinculum dirumpatur."

ART. XXIII.

De coelibatu Sacerdotum.

„Non levibus de causis olim adducti fuerunt proceres ecclesiae, ut ad praecipua ecclesiae ministeria, h. e. verbi et Sacramentorum, non nisi castos et coelibes admitterent. Quarum prima fuit, ut ministri ecclesiae caste pudiceque in ecclesia serviant, ut sancta sancte contrectent atque dispensent. Altera, ut avaritiae causa praecideretur, quam rei familiaris procuratio et liberorum cura adferre solet. Tertia, ut, a cura rei familiaris liberi, expeditius et attentius res divinas administrarent." (1 Cor. 7, 32. 33)... „Quapropter inique faciunt, qui ecclesiam accusant, quod hac constitutione nuptias prohibuerit et doctrinam daemoniorum

¹⁾ „In Capt. Babilon." ²⁾ „In deliberat. Lipsica, anno 1539."

invexerit, neque enim ideo ecclesia nuptias damnat, quod ad ecclesiae ministerium non nisi castos et continentibus admittat; omnibus enim libertatem ineundi casti conjugii permittit, nisi qui *ultro* genus vitae, quod a conjugio alienum esse sciunt, sibi delegerunt, in quodam manent, aequum est, ut conditionem, quam ipsi sponte susceperunt, aequo animo servent... Contra tamen fatendum est, graviter a posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore constitutionem multis in laqueum verterunt, dum juvenes, nondum sibi cognitos et exploratos, temere ad ministerium ecclesiasticum admiserunt, et cum illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potius impuros quosvis concubitus dissimularunt et quodammodo probarunt, quam ut permittendo constitutionis illius humanae gratiam illis facerent, qui eam sine offensione divinae legis observare non poterant...” Sed „causae illae, quibus majores ad constitutionem hanc faciendam inductos esse diximus, non solum hodie cessarunt, sed etiam in contrarium sunt conversae; nam primum videmus hoc decreto usque adeo castitatem et continentiam in Christo non confirmari, ut per illud ad omne libidinis et flagitii genus fenestra aperta esse videatur, item usque adeo non refrenatam in clero avaritiam, ut etiam frena magis laxata esse videantur. Tum res in plerisque sacerdotibus ita comparatae sunt, ut conjugum piarum consortio non modo ad functiones ecclesiasticas obeundas non impediuntur, sed etiam ad earum procurationem adjuvantur ab eis... Ad ea igitur incommoda et scandala evitanda et tollenda, optimum quidem et praestantissimum remedium esset, si prisca cleri disciplina... restitueretur, h. e. ut nemo in sacerdotem ordinetur, qui, nisi a pueritia in ecclesia institutus et

cleri numero ascriptus, per gradus ministeriorum aetatem, ut minimum, triginta annorum attigisset, ac totum illud tempus caste continenterque traduxisset, aut, si maritum aliquem in sacerdotem coöptari contigisset, is ea esset aetate atque morum gravitate, ut mutuo uxoris consensu ab ejus commercio abstinere posset, deinde ut in sacerdotio constitutus ab omni prorsus cohabitatione et familiaritate mulierum abstineret.... Quod si... de hac disciplina restituenda desperetur, ... restat primum ut in posterum ordinandis hoc statutum relaxetur, et, more veteris ecclesiae et huc usque Orientalium ecclesiarum, honesti quoque mariti ad ecclesiae ministerium admittantur, et extra tempus ministerii familiaritate quoque suarum conjugum uti permittantur.... Sunt igitur hujus constitutionis relaxandae graves causae...,” quarum „praecipuam adfert praesens ecclesiae status et idoneorum ministrorum inopia. Plerique enim homines docti et pii ad continentiae observationem adstringere se nolunt, cum et infirmitatis suae rationem habeant, et exemplis turpitudinum et scelerum, quae praetextu coelibatus passim in oculos et aures incurrunt, moveantur; quo fit ut paucissimi adolescentes, pietatis indole praediti, ad Theologiae studium se adjungant, aut a piis parentibus ad hoc studium applicentur, sed ii fere tantum, qui opima beneficia, vitae luxum et splendorem ac carnis licentiam, et vagam effrenemque libidinem animo praesumunt, praeter nonnullos, qui imprudenter et nondum sibi satis noti in laqueum inducuntur.... Sunt autem causae non leves, cur hodie iis quoque, qui, jam ordinati, non libidine sed conscientia ducti uxores duxerunt, et ecclesiis utiles esse possunt, gratia hujus legis fieri debeat, ... primum, quod

conjugium inire post ordinationem nullo divino jure, solo ecclesiae statuto prohibeatur... Tum, „ex hujusmodi conjugio non modo nulla offensio populi, sed magna etiam utilitas exspectanda est; *nam eo res jam rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio foeminarum abstineat*... Quare, si unquam tempus fuit antiquae alicujus consuetudinis immutandae, certe haec tempora hujus quamvis priscae moris immutationem aliquam efflagitare videntur... Nam quod Ambrosii, Basilii et multorum antistitum exempla adferuntur, qui, ope divina adjuti, extra conjugium feliciter ecclesias administrarunt, hi certe non modo a conjugio, sed ab omni mulierum congressu sibi temperarunt, *quod si hodie quoque ab episcopis et presbyteris observetur, nemo hujusmodi coelibatum in quaestionem vocet, quin potius summis laudibus evehat*...”

ART. XXIV.

De Missa.

„Queritur Confessio et Apologia falso suos accusari, quod aboleant Missam; eam enim apud suos retineri, et summa reverentia celebrari, etc. In his certe verbis nil apparet, quod admodum a publica consuetudine dissidet... Sed... alia sunt, et in Missarum seu Coenae (uti ipsi vocare maluerunt) celebratione, quomodo ab ipsis fit, quae certamina haud levia excitarunt. Illud enim praeter communem et veterum omnium ecclesiarum consuetudinem est, quod in confectione Sacramentorum canonicam precem, in qua invocatio divini nominis, mortis Domini recordatio et membrorum corporis mystici commemoratio adhibetur, in totum omitunt. Dominica autem verba recitant illi quidem his-

torica narratione, non quod per illa ex divino pacto consecrationem et Dominici corporis praesentiam effici putent... Nunc illud primo explicemus, in quo Confessio et ei adjuncta Apologia hujus controversiae statum constituit, nempe opinionem de merito et applicatione Missae falsam esse et impiam: objicitur enim praesentis ecclesiae doctoribus, quod haeresim defendant;... videlicet, quod Missa ex opere operato justificet, quod mereatur remissionem culpae et poenae etiam injustis, pro quibus applicatur, si non ponunt obicem. Sed... ex adverso uno ore omnes hodie ecclesiastici scriptores... docent, corpus et sanguinem Christi... virtutem sanctificandi obtinere non ex opere operantis, i. e. dignitate et merito celebrantis ministri, sed ex opere operato, h. e. ex ordinatione et pacto ipsius Christi, hanc sacram actionem instituentis... Falso itaque Protestantes opus operatum ad actionem sacerdotis referunt, cum ecclesiastici opus operatum de veritate corporis et sanguinis Christi intelligant, quae non in merito sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris... Haec, cum ita se habeant, miror qua fronte vir quidam adductus in publico suae ecclesiae ministerio constitutus, ac, ut videri vult, moderatus, haec ant ita dudum in publicum emittere ausus sit. Pontifex Romanus cum suis asseclis, inquit ¹⁾, scelerate docuit ac credi coëgit, hanc Coenam ad hoc mandatam et institutam esse, ut in ea a quolibet sacrificio Deus novo et singulari sacrificio placaretur, in quo filius Dei quasi denuo excruciatum et maculatum coelesti patri offerretur, cujus operis et oblationis tanta sit digni-

¹⁾ v. Paul. Eberus, Pastor Witttembergensis, in assertionem de Coena Domini.

tas et efficacia, ut mereantur ex opere operato *sine propria fide* remissionem peccatorum, reconciliationem, justitiam, vitam aeternam. Hanc calumniam plenam esse vanitatis, ex his quae supra diximus, manifeste apparet. Hoc tamen ingenue fatendum est, quod ab ecclesiastica parte magna huic falsae opinioni occasio praebita esse videatur,.... videlicet cum tanta multitudo Missarum passim summa negligentia celebretur, itaque nonnunquam a vilissimis et impurissimis hominibus, hanc actionem tanquam quoddam opificium.... obeuntibus, ad quam multitudo saepe improborum et sceleratorum concurrat,... tametsi de vitae immutatione nil cogitent, imo saepe a quotidiana Missae auditione statim ad sua usitata flagitia et scelera se convertant. Huic rei optime occurri poterit, si minore quidem numero, sed majore reverentia Missae quam haecenus celebrantur... Videntur autem populo sufficere singulis dominicis et majoribus festis Missae singulae, vel, in frequentioribus locis, Missae binae... Adhaec Missas ipsas ita a sacerdotibus fieri oportebat, ut hinc utilitas aliqua ad populum redeat, et non in externo tantum spectaculo defixus haereat, quod fiet, si preces et lectiones divinarum literarum ita fiant, ut ad praesentium, quorum gratia fiunt, fidem et pietatem augendam pertineant... Qua propter Cajetanus... ait melius esse ad aedificationem ecclesiae, si orationes publicae, quae audiente populo dicuntur, dicuntur lingua vulgari in ecclesia quam in lingua Latina....

„Quod itaque de *privatis* Missis conqueruntur, non omnino praeter rationem est, si privatarum Missarum nomine intelligant eas Missas, in quibus solus sacerdos confecta Sacramenta participat, nec ulla mysteriorum distributio fit (quae aptiore nomine *solitariae*

Missae vocantur), quae veteribus quoque cum primum in monasteriis quibusdam inolevissent, improbatæ fuisse videntur....

„Restat nunc altera controversia de *sacrificio* corporis et sanguinis Christi, quod in Missarum celebratione offerri dicitur, cui controversiæ locum futurum non fuisse puto, si priscus ille mos inter plures celebrandæ et distribuendæ Eucharistiæ retentus fuisset, qui, si in usum revocetur, magnam hujus controversiæ partem sublata putarim.... Non igitur hæc novum est sacrificium, nam et eadem hæc est hostia, quæ in cruce oblata fuit, et sacrificii illius in cruce peracti in mysterio *commemoratio*, et continuati in coelis sacerdotii et sacrificii Christi *in imaginem repræsentatio*, quo non efficitur nova propitiatio et remissio peccatorum, sed ea, quæ semel sufficienter in cruce facta est, nobis quoque efficax esse postulatur. Itaque veteres in hoc mystico sacrificio non tam peractæ semel in cruce oblationis, cujus hæc memoria celebratur, quam perpetui sacerdotii et jugis sacrificii, quod quotidie in coelis sempiternus sacerdos offert, rationem habuerunt, cujus hæc imago per solennes ministrorum preces exprimitur.... Precatio autem pro spiritibus defunctorum, quam omnes totius orbis, tam Orientis quam Occidentis, ecclesiæ in usu habent, minime quenquam movere debet: est enim plena pietatis, qua ecclesiæ omnibus suis membris, in Christo quiescentibus, locum refrigerii et quietis et pacis postulat....”

ART. XXV.

De Monachatu.

„*Monachatum* non ipsum vitæ institutum, sed hominum mores, hoc instituto abutentium, odiosum apud

multos fecerunt.... Finis enim monasticae vitae non alius est, quam ut periculis, quae adfert vita popularis, evitatis, carne in obsequium spiritus, quoad fieri potest, redacta, corpore et animo totus homo liberius Deo serviat.... In hoc itaque vitae genere, si recte ex mente institutorum observetur, nil est, quod vel iniquissimus huic monasticae vitae reprehendat, sed potius quod miretur et laudet. Tantummodo removenda est falsa opinio et praepostera fiducia, ne in his operibus fiducia collocetur, quae in solo Christi merito collocanda est.... Ad *vota* autem quod attinet, certe Lutherus ipse non *vota ipsa*, sed abusum *votorum*, h. e. falsam opinionem, fidei contrariam, damnandam esse censuit.... Quam autem longe Monachatus hodie a prima sua origine degeneraverit, et quantis abusibus contaminatus et deformatus sit, satis per se est manifestum.... Restat igitur hoc tantum, ut abusus, qui, ut in res omnes praeclaras, ita in hoc salubre institutum monasticum invaserunt, episcoporum et principum cura, quam optima ratione fieri poterit, pro conditione horum temporum corrigantur....

„... Manent adhuc vestigia.... communis et *canonicae* vitae, sed in aedificiis ac nominibus tantum: nam multa adhuc collegia claustrum, i. e. loci septi atque seclusi, nomen et speciem referunt.... Cum igitur illorum vita longe jam a regula deflexisset, in eorum locum successit *Canonicorum* aliud genus, qui, cum regulae praescriptum proprius sequerentur, *Canonicum regulares* dicti sunt, ad quorum differentiam illi, regulae desertores, absurdo et monstroso nomine *Canonicum saeculares*, h. e. *Regulares irregulares* dici coeperunt... Cum autem huiusmodi collegia in celebrioribus locis, in quibus episcopus praesidebat, constituta essent ac

in iis literati ac docti viri vitam agerent, vetus ecclesiae mos, quo apud insigniores ecclesias... scholae liberalium artium et divinarum literarum habebantur, in iis collegiis servabatur;... donec tandem hoc quoque tam utili et pio opere cum caeteris neglecto, pii principes et magistratus ad horum negligentiam insupplendam, et aliunde conquisitis stipendiis publica Gymnasia in certis locis instituenda inducti sunt...." (Valde optandum censet Cassander, ut haec Canoniorum vita clericorum institutioni denuo servire possit).

ART. XXVI.

De potestate ecclesiastica.

„.... Negandum non est, episcopis, ut olim Apostolis, potestatem esse ordinandi et constituendi leges quasdam et observationes ecclesiasticas, quibus et ordo in ecclesia observetur, et cleri ac populi disciplina communiatur.... Equidem fatendum est, nonnullas esse traditiones, in quibus urgendis ab aequitate et mente ecclesiae ab imperitis et superstitiosis antistitibus et ecclesiarum praefectis recessum est.... Adhaec concedimus obtestandos esse illos, penes quos ecclesiarum procuratio est, ut compertos jam et manifestos abusus... tolli et aboleri curent;... neque tantum monendos et rogandos putamus, ut abusus corrigant, verum etiam ut antiquos aliquot ecclesiae ritus, ... pietati... promovendae et ecclesiae pacificandae utiles, revocari studeant, ejusmodi est usus Sacramenti Dominici sanguinis, seu plenae ac legitimae communionis corporis et sanguinis Domini.... Inprimis autem opera detur, ut primo quoque tempore corruptissimi ecclesiasticorum hominum mores, ... non inanibus constitutionibus et decretis, sed seriis et severis execu-

tionibus corrigantur et in melius refoventur, quod tamen ut fiat, *opus est ut ab iis, qui summo loco praesident, correctionis initium fiat, ac aliis, qui inferiore loco sequuntur, pietatis, justitiae, continentiae, temperantiae exemplis praeëant...*" (De Cassandri sententia *de haeresibus*, quae hîc etiam exponitur, supra jam egimus ¹⁾).

Concludit Cassander consultationem suam his verbis: „Illud non dubito, nonnulla fore, quae vehementioribus utriusque partis hominibus displicitura sint ¹⁾), cum utriusque partis ulcera attrectentur; illud tamen, ne nimis verum sit augurium vercor, aut ecclesiae vehementer labefactatae statum ad hujusmodi formam instaurari debere, aut, si id minus obtineat, nobis ex nobis ipsis certissimum exitium imminere.”

Imperatoris de hoc scripto iudicium admodum erat honorificum. Ipse Cassandro non tantum testatus est, parvam in componendo moram consultationis argumento abunde compensari, atque mature omnia et iudicio, gravitate et prudentia climata fuisse, sed etiam ei spem obtulit de mercede pecuniaria, quam ab Imperatoris commissario accepturus esset; quod tamen

¹⁾ Cf. p. 53.

²⁾ Non vanam fuisse hanc Cassandri sollicitudinem, quam luculentissime probat Jacobi Buyckii, antisitis illius, primum Amstelædami, dein Trajecti ad Rhenum degentis, exemplum; quippe qui in titulo sui consultationis exemplaris, quod, anno 1577 Coloniae editum et in urbis Amstelædamensis Bibliotheca servatum, inspicere mihi licuit, haec scripserit verba: „*Anguis in herba, venenum sub melle. Non est recta consultatio, sed falsa deceptio.*”—De Buyckio autem consulatur J. Wiarda, o. l. p. 22 seqq. et 156 seqq.

promissum aut ipsius Maximiliani, aut ejus consiliariorum negligentia, solutum non esse videtur ¹⁾. Quid, quod Cassander sub aetatem anni 1565, ab Imperatore in aulam invitatus est, quod, ut hic scribebat, „supersunt paucula quaedam ex iis, quae in opere tuo tractantur, capitibus, quae sufficienter per literas tractari inter nos incommode possunt, adeoque non nisi coram, tam per theologos et consiliarios, ceterosque nonnullos doctos nostros, copiosius communicata et collata, et ipsi etiam ore tenus conferre tecum summopere cupiamus” ²⁾. Huic vero Imperatoris voto responsum non est, etsi omnia ab eo excogitata erant, quibus Cassandro iter facilius expeditiusque foret. Rei enim difficultas et labor ³⁾, nec non valetudo dubia et in dies infirmior ⁴⁾ hunc prohibuerunt, quominus ex domicilio recederet. —

Jam vero ad Cassandri vitae partem postremam pervenimus. Mox vita defunctus est parum splendida quidem, sed utili assiduoque labore insigni; et eventu comprobatum est, eum non sine causa de valetudinis statu timuisse, quum scriberet, die 16 Nov.: „vehementer mihi metuo, ne haec hyems aliquid mali

¹⁾ Vid. *Cent. Epist.* 44. Iterum iterumque de 200 illis „aureis” Cassander scripsit. Vid. *Epist.* 109. 110 et cf. *Cent. Epist.* 72. Quin post ejus mortem, amico Cornelio Gualterio, quem haeredem scripserat hac etiam conditione: „ut Johannem Cassandrum patrem suum, senem ac tenuis fortunae, quamdiu viveret, aleret ac de omnibus necessariis provideret,” de eadem re ad Archiepiscopum Coloniensem scribere necesse fuit. Burman, o. l. II: p. 293.

²⁾ *Cent. Epist.* 46. Cf. *Epist.* 57. 71.

³⁾ *Epist.* 104 (*Opp.* p. 1208): „Gaudeo autem,” ait, „me ab hujus itineris necessitate absolutum.... quod me tantis laboribus et sumptibus dignum operae pretium facere, et tantorum virorum expectationi minime respondere posse sciam.” Cf. *Cent. Epist.* 57.

⁴⁾ Quam (*Epist.* 97. *Opp.* p. 1198) aeternis depingit coloribus.

adferat,"¹⁾); nam antequam transiit hiems ipsa vita excessit. Cujus utinam postremi saltem vitae dies curis et sollicitudine vacui fuissent; sed aliter Deo visum erat! Praeter cetera enim carebat etiam amicitiae consolationibus. Amicorum ejus fidelissimus, omnium ejus itinerum, studiorum, laborum comes, Cornelius Gualterius, negotiis domesticis ob fratris mortem occupatus, eodem tempore Gandavi degebat, ubi diutius ei commorari necesse erat²⁾. Sed prae ceteris hoc dolemus, quod vir ille, quem vel principes consulebant; cujusque opera ejusmodi erant, ut Hugonis Grotii, Calixti aliorumque virorum celeberrimorum laudes ferrent, per totam vitam et praesertim in ultimo vitae spatio rei pecuniariae inopia tantopere angebatur, ut, unde se tueretur, plane dubitaret³⁾. Profecto, nisi res necessariae ac summi momenti Cornelium Gandavi retinuissent, statim ad amicum advolaturus fuisset, hac lecta relatione de Cassandri conditione fere desperata⁴⁾: „quo loco sit Cassander noster; ex hisce Me-

¹⁾ *Epist.* 113. p. 1221.

²⁾ Apparet, Cornelium jam initio anni 1565 Gandavi fuisse (*Cent. Epist.* 54), atque anno post, adeoque brevi ante Cassandri mortem, nondum rediisse. (Burman, o. l. II: p. 283).

³⁾ Scribit Cassander Cornelio, die 2do Febr. 1565: „Velim sane, si quo modo fieri possit, ut ante quadragesimam hinc nobis adsis, vel ea de causa, ut in futuram quadragesimam de annona nobis prospiciamus. Nam non satis video, quomodo per hanc quadr. victum mihi commodum parem” (*Cent. Epist.* 54.); — Baersio autem, die 19no Oct.: „Cornelium unicum meum Moecenatem breviter hinc expecto, qui ante paucos dies ad me perscripsit, se ad summum ad ferias B. Martini, Deo volente, hinc adfuturum, ac ligna et cetera in hyemem necessaria coemni jussit.” (*Epist.* 108. p. 1215). Jam novimus, Cassandri illi exspectationi satisfactum non esse.

⁴⁾ Epistola Petri Ximenii ad Gualterium data, die 14to Januar. 1566, apud Burmannum (o. l. II: p. 283).

telli literis facile intelliges. Optimo est illi quidem, vel per Dei misericordiam brevi futurum est; sed nobis, qui illum amabamus, ob imbecillitatem nostram ac communem studiorum ac piorum jacturam, non optimo. Ego sane, erepto mihi tali viro tali-que amico, cum quo aliquot adhuc annos cum summa voluptate ac summa studiorum meorum utilitate me exacturum sperabam, eum accepi nuntium, quo forte nullum in vita accepi acerbiorem, quique, te uno excepto, alium neminem tam gravi dolore afficere queat. Unum meo iudicio est, quod in hac tam gravi casu nos prae ceteris consolari potest, quod non modo ob afflictissimam ejus valetudinem, verum etiam ob nostram omnium jam ingravescentem aetatem promittere nobis non licebat, hanc nostram tantae voluntatis conjunctionem fore diuturnam....” Tandem vero morbi vexationibus Cassander succubuit. Mortuus est Coloniae die 3tio Febr. 1566, anno aetatis 52do. Lapidum sepulchrali, ad altare in S. Francisci templo, Cornelius insculpendum curavit epitaphium, quod his verbis terminatur:

„Te vivente mihi gratissima, docte Georgi,
Vita fuit, liceat te moriente mori.”¹⁾

Quod perhibuerunt scriptores Romano-Catholici, Cassandrum, morte instante, sententiam suam, et in Consultatione et aliis locis enuntiatam, reprobasse²⁾, satis refutatur non tantum Conringii observatione³⁾: in

¹⁾ Quod tamen epitaphium, auctore Reiffenbergio, *Histor. Societ. Jesu* (vid. Friedrich, l. I. p. 20), edita Cassandri Consultatione anno 1577, Colonienses eraserunt.

²⁾ Vid. hac de re testimonia in Pope-Blount, *Censura celebr. author.* p. 512.

³⁾ Friedrich, p. 20.

publico Cassandri epitaphio consultationem illam laudatam fuisse¹⁾, sed eo etiam, quod auctor praefationis, consultationi illi praefixae, Cassandrum „morientem se in hac, quam idem liber contineat, doctrina vivere morique velle apud amicos testatum fuisse” declarat²⁾. In indice Tridentino, anno 1564 edito, omnia Cassandri scripta damnata sunt³⁾.

1) Quod certe factum non fuisset, si Cassander revera scriptum illud reprobasset.

2) *Opp.* p. 901. Cf. Schelhorn, o. l. II: p. 567.

3) *Epist.* 92. *Opp.* p. 1190. Cf. *Cent. Epist.* 52. — Ex quo Indice anni 1564 et quibusdam aliis, iisque anterioribus, Dux Albanus anno 1569 novum Indicem componendum curavit, in quo itidem Cassandri nomen invenitur. Eodem anno editus est ille Index Antverpiac a Plantino (de Ram, o. l. p. 30), qui occurrit etiam in van Loon, *Groot Geldersch Placaet-boeck* I: col. 360 seqq.

EPICRISIS.

Cassandri igitur vitae atque operum narrationem ad finem perduximus; quo facto nobis manifestum est, quamvis ecclesiam Romano-Catholicam nunquam deseruerit, nequaquam tamen eum illius ecclesiae vitia ignorasse; sed simul, Reformatorem agendi sentiendique rationem probatam ei non fuisse. Sententia ejus, quam passim hac de re in operibus proposuit, huc redit, quod, qui vere pius ac sanus haberi velit, eum neutri parti, neque Catholicorum neque Protestantium, adungere sese oporteat, sed potius utriusque eorum vitia evitare. Confert alicubi ¹⁾ ecclesiam cum elegantissima et foecundissima arbore, ex radice Evangelicae et Apostolicae doctrinae enata, quae, progressionem temporis, vitio eorum, quibus ejus cura demandata fuit, paulatim in alterum latus sit incurvata. Tandem cum ea curvatura eo propendisset, ut fere ruitura et peritura arbor videretur, fuisse ait qui omnes impenderent vires, ut eam in rectum statum componerent, et ad priscam formam redigerent. „Sed accidit illis quod imperitis agricolis, qui, cum incurvatam arborem dirigere volunt, in alteram partem nimium inflectunt, vel detorquent potius, ut periculum sit, ne eam a fundamento evertant; cui et aliud malum accidit, quod inter directores ipsos non convenit, cum alius huc, alius illuc trahen-

¹⁾ *Epist.* 5. p. 1086.

dum putet, atque ita fiat, ut, dum opitulari arbori volunt, magis eam laedant atque deforment." Alio loco ¹⁾ imaginem ducit de rivulo, qui, tametsi longo cursu, contracto limo et sordibus, nitorem illum et puritatem, quae in ipso fonte aquaque fonti proxima spectantur, coïnquinaverit et conspurcarit, minime tamen a fonte alienus et sejunctus habendus sit. Alibi rursus ²⁾ veritatem inter duo extrema vitiosa constitutam cernit, quam sequi, sicuti Erasmi verbis rem enuntiat, nihil aliud est nisi *inter Scyllam et Charybdim navigare*. Paucis itaque ut rem complectar, Cassander in eorum virorum ordinem referendus est, qui sermone vernaculo vocari solent „mannen van het *juiste midden*."

Est, cur ad hanc Cassandri de Reformatione atque ecclesiae conditione iudicium animum attendamus; nam non ille tantum, sed multi etiam ex viris Humanistis eandem sentiendi rationem amplectebantur. Cujus rei apud viros illos praecipua sine dubio causa cernitur in operum classicorum, praesertim vero *philosophiae Aristotelicae*, studio. Secundum Aristotelis quidem opinionem, virtutem quasi medium tenere inter duo vitia extrema, nemo fere est, qui nesciat ³⁾. Quod autem ad Cassandrum attinet, non tantum eum declarantem audivimus, se antea fuisse „strenuum Peripateticum" (p. 46); sed certum nobis exstat testimonium, unde apparet, eum notionem suam de vera religione ex Aristotelica illa de virtute sententia petiisse: dicit enim ⁴⁾, „nec dubito, ut reliquas virtutes, *ita et*

¹⁾ *De off. pii viri* p. 788.

²⁾ *Epist.* 75 (p. 1178), *Epist.* 98 (p. 1201).

³⁾ Vid. Alb. Schwegler, *Geschichte der Philosophie in Umriss*. p. 74 seqq.

⁴⁾ *Epist.* 106 (p. 1212).

religionem in medio duorum extremorum consistere, h. e. inter Pharisaicam superstitionem et schismaticam seu haereticam impietatem." Laudabat praeterea atque admirabatur Cassander Ciceronem ¹⁾); ejus quidem libellorum philosophicorum ratio profecto non ejusmodi erat, ut ad novas sententias temere et constanter complectendas animum impelleret. Potuit enim Cicero, *eclecticus* ut erat, jure de se ipse testari, „se nullis vinculis ullius certae disciplinae impediri, sed ex omnibus libere, quodcumque se maxime specie veritatis moveret" ²⁾). Consideremus denique, quae esset illa aetate multorum virorum Protestantium agendi ratio, quippe qui prorsus ignorare viderentur, Reformationem non tam *doctrinam* ecclesiae vitiatam, quam Christianorum *vitam* impuram atque corruptam spectasse; qui, quum libertatis principium, per Reformationem denuo in scenam allatum, ferre nondum possent, Reformationum verbis et notionibus serviliter sese astringerent, neglectis vero iis, quae viros illos revera magnos reddidissent: eorum nimirum animi vigore, integra pietate, libertatis Christianae studio, veritatis amore; qui tandem mutuam concordiae vinculum paullatim dissolverent, quum tam odiosis quidem verbis se invicem et objurgationibus peterent, quibus vel in pugna adversus Romano-Catholicos abstinuissent; — omnibus iis consideratis profecto mirandi locus non est, talem, qualem Cassandrum novimus, virum ad Protestantium castra nunquam transiisse.

At tamen, ut ipse Cassander fatetur, ecclesia ab

¹⁾ Quod satis superque ostendit locus ex *Oratione Panegyrica in laudem urbis Brugarum*, supra (p. 28 seqq.) citatus.

²⁾ *Tusc. Disput.* V:29. — Cf. Alb. Jansen, *De Julio Pflugio*, cet. p. 14 seqq.

ingenita sibi integritate degeneravit: turpium abusuum abrogatio, clericorum vitae dissolutae emendatio necessaria est. Refert tantummodo, veram indagare regulam, ad quam Reformatio institui possit. Quam Cassander regulam s. normam habet *veterem* ecclesiam Christianam, i. e. quae 6 prioribus saeculis floruit. Haec autem sententia itidem ex priorae vitae eius periodo, ut ita dicam *humanistica*, explicanda est. Quemadmodum enim Humanistae, *antiquis* literis legendis et divulgandis, illius aetatis barbarici vim infringere conabantur, sic etiam facile explicatur, eos, quum semel novae ejusque melioris vitae desiderium cepissent, oculos convertere solitos fuisse ad religionis Christianae initia, *auream* illam, ut putabant, ecclesiae aetatem. Quod si autem Cassander constare sibi voluisset, dubitandum non est, quin *Apostolicam* ecclesiam, quam ipsius Domini discipuli constituerant, normam constituisset. Nam, etiamsi recentiores disquisitiones probaverunt, ecclesiam illam Apostolicam non prorsus fuisse maculis liberam, et posteriorum errorum atque abusuum semina jam tunc adfuisse, jure dubitari potest, num Cassander de illa ecclesiae periodo idem sentiret. Sed alia causa erat, cur *veteris* ecclesiae Christianae notionem latius patere voluerit. Erat enim ecclesiae Romano-Catholicae membrum, et id quidem ex plena animi persuasione. Nam, quanquam apud aequales in haereseos suspicionem incurrerat, tamen ex ejus operibus manifeste nobis apparuit, cum non modo non ab ecclesiae doctrina recedere voluisse, sed eam potius adversus aliter sentientes suo modo defendisse atque tuitum esse; hac quidem ratione, ut ambiguus vocibus adhibendis novum eumque pulcherrimum colorem doctrinae illi induceret. Quaestio est,

quo fortasse Cassander progressus fuisset in aperiendis sententiis reformatoriis, nisi eum adversarii haereseos accusavissent. Jam vero semel accusationibus illis laesus atque deterritus, ante omnia studebat, ut revera se esse Catholicum ac verum fidelem probaret; atque apertas a se sententias plane convenire non tam cum doctrinae ecclesiasticae formulis *tunc* usitatis, quam cum illorum patrum ecclesiasticorum effatis, qui Catholici systematis quasi fundamentum jecissent. Patrum autem illorum scripta pleraque et ea quidem gravissima deprehendere sibi videbatur in ea ipsa ecclesiae periodo, quâ, variis libris, imprimis de persona Christi, agitatis compositisque, de omnibus fere religionis capitibus apud varios scriptores ecclesiasticos certae ac clarae inveniri possint definitiones; sicut jam antea vidimus (p. 121), quaerentibus, cur illius temporis (a Constantino usque ad Leonem vel etiam Gregorium) exemplum potissimum proponendum censeat, hoc primum respondere Cassandrum: „quia tum per varia certamina, eruditissima scripta et gravissima concilia praecipue omnes de summis religionis nostrae capitibus controversiae diligentissime et fidelissime pertractatae et disceptatae fuerunt, et sincera Apostolorum doctrina et vera divinarum literarum intelligentia adversus haereses... liquidissime declarata fuit et explicata.” In ea igitur opinione de veteris ecclesiae auctoritate tota Cassandri systematis quasi cardo vertitur; quae tamen opinio et ipsa et ob modum, quo exposita est, non ab omni parte laudanda est. Primum enim, frustra desideramus, ut Cassander clare et perspicue indicet, quis sit illius periodi, quam normam proponit, terminus? qui nimirum terminus, utrum Leonis an Gregorii Magni aetate constituatur,

parum curare videtur; quanquam uterque ille ecclesiae princeps plus centum annorum spatio a se invicem separati sunt ¹⁾! Haec autem ambigua atque incerta loquendi ratio in rebus theologis vel ecclesiasticis tractandis Cassandro propria erat. Quam enim vere liberalis et Christiana sit libelli *De officio pii viri* indoles, quot contineat locos praeclaros, — quotiescunque de rebus certis, de hac vel illa doctrina aut ritu ecclesiastico Cassandri iudicium sciscitari cupimus, longum abest ut desiderio illi satisfaciat; ita ut Calvinii confutatio, omissis illis, quae iure reprehendendi materiam praebent, hanc etiam ob causam utilis fuerit, quod Cassandro in defensione non aliter quam clare atque aperte sententiam suam proponere licuit ²⁾.

Sed plura, sed graviora etiam sunt, quibus illud Cassandri de *veteris* ecclesiae auctoritate placitum prematur. Quid enim causae est, cur in constituenda verae ecclesiae norma Gregorii magni actus terminus ultimus habeatur? Numquid ecclesia Christiana iam

¹⁾ In Epistola ad Ferdinandum Imperatorem, quibus se excusat et causas affert, cur ipsius Majestatis voluntati et mandato, in suscipiendo tam longinquo itinere, obsequi non possit, (*Opp.* p. 903) non nisi haec scripsit: „Ecclesiam esse instaurandam ad formam et exemplum potissimum illius ecclesiae, quae ab aetate Constantini floruit,” de quibus postea in Epist. ad Joannem Sambucum (*Epist.* 77. p. 1180) haec habet: „quo loco addendum erat, usque ad aetatem Augustini vel Leonis. Nam ad eam usque aetatem, imo usque ad Gregorium I, etiam illi, qui praesentem ecclesiam aspernantur, Apostolicam doctrinam incorruptam et ecclesiae constitutionem et gubernationem legitimam fuisse fatentur.”

²⁾ Ambigua illa loquendi ratio, ut saepe, ita imprimis nobis in oculos incurrit, ubi in *Consultatione*, art. VII de *Ecclesia* „unitatem animorum,” quae ad ecclesiae unitatem constituendam requiritur, ita explicat, quasi nihil aliud esset, nisi „obedientia, quae debetur ecclesiarum praefectis.” Vid. supra p. 127.

tunc ad summum perfectionis gradum provecta erat? — Minime negare ausim, per illud temporis spatium viros exstitisse, qui ét de religione ét de theologia optime meriti sint: Origenem dico, Athanasium, Augustinum, Gregorium, alios! At vero, ex eodem tempore quot supersunt testimonia eorum, qui, animi quum essent pusilli, vera tum religionis Christianae quum ecclesiae Romanae indole non bene perspecta, quod alterius esset alteri tribuerent; necdum compertum haberent, religionem a Christo institutam non aliter quam libere atque ex plena animi persuasione amplectendam esse! Sed praeterea, sequentia saecula nihil boni et magni protulerunt? Num Spiritus Sanctus prorsus ab ecclesia recesserat? Nonne etiam Anselmus, Bernardus Claraevallensis, Wesselus, Lutherus, ne omnes commemorem, regni divini veritatisque Christianae causam summis animi ingeniique viribus tuiti sunt? Nondum fuit profecto aurea illa ecclesiae aetas; sed erit, erit aliquando, quum omnes ad unum Christiani Christi ipsius mente imbuti erunt. Neque Lutherus, neque Calvinus, neque Augustinus, sed ne Paulus quidem vel Joannes summa sunt ecclesiae imitandi exempla; Christus ipse nobis est vitae veritatisque uberrimus fons. Quo magis vita nostra Ipsius sanctae vitae tanquam effigies erit, eo insigniorem in religione locum nacti erimus.

Ad Christum igitur confugiant, quicumque ecclesiae pacem atque salutem eurent! Quod agnoscit quidem Cassander, sed idem valere putat ac: *veram de Christo doctrinam amplecti* ¹⁾. Quum autem ei persuasum esset, unamquamque ecclesiae partem, cum specie ve-

¹⁾ *De officio pii viri*, p. 788.

ritatis, Domini Apostolorumque *verba* in suum commodum torquere posse, adeoque Scripturae testimonia parum juvare, nihil ei reliqui erat nisi ut Traditionis auxilio uteretur; quasi hujus alteriusve scriptoris ecclesiastici verba magis quam Scripturae perspicui essent! Si simplicius liberiusque ejus consilium fuisset, nullus dubitasset, quin Evangelici majore, quam Romano-Catholici, jure, ad probandas sententias suas Scripturae locos afferre solerent; sed quando perpendimus ipsos viros Reformatores, in S. Scriptura explicanda, interpretationis allegoricae et dogmaticis opinionibus praecoccupatae vinculis saepe constrictos fuisse ¹⁾, non est quod miremur, si Cassander etiam hac in re specie potius quam veritate duci se passus est. Attamen hoc ei concedendum videtur, nudam Scripturae effatorum dispositionem parvi momenti esse. Ad ecclesiae certe reformationem nihil faciunt verba et formulae; τὸ πνεῦμα ζωοποιεῖ (2 Cor. 3, 6). Non ideo Christus nobis veritatem patefecit et Apostoli de eo testati sunt, ut eorum verba legis *externae* instar haberemus; sed contra, ut spiritus, qui his verbis inest, divinus, nos quoque ad altiore pietatis atque salutis gradum proveheret. Quo eodem spiritu quum aliquando Christiani imbuti erant, tum demum inter ipsos discordiae et dissensionis locus non amplius erit, sed corruet τὸ μεσότοιχον τοῦ Φραγμοῦ, quod adhuc Protestantes et Romano-Catholicos a se invicem separatos tenet, et veniet aetas, quam Apostolus jam mente praesagivit, quum scriberet: μέχρι καταστήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἐνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ

¹⁾ Vid. A. Kuonen, *Critices et Hermeneutices librorum N. F. lineamenta*, p. 45.

τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ (Efes. 4, 13). Omnes adhuc utriusque majoris Christianae societatis partis inter se reconciliandae conatus, laudanda quoque Cassandri studia, optato eventu caruisse, hinc erat, quod viri illi pacis amatores in externis mediis, nempe in colloquiis, conventibus atque conciliis potius, quam in totius societatis interna renovatione ecclesiae salutem ponebant ¹⁾; quodque, rebus adiaphoris nimio pretio tributo, veram religionis indolem, quacum externa illa verborum confessio ex diametro pugnat, nondum penitus cognoverant ²⁾).

Quid igitur de Cassandri irenicis consiliis statuendum videtur? Num reprehendendi tantum materiam praebent ejus conatus? Minime vero! — Laudamus filium, qui matri, quamvis prorsus degeneri, honorem debitum praestat: Cassander autem, qui ecclesiam Romano-Catholicam *matrem* agnoscebat, quae prima eum religionis principiis imbuisset, illam ecclesiam non dereliquit, etiamsi nonnullis in rebus Protestantium placitis potius addictus esset, quam rigidioribus Catholicorum decretis; sed ita eam ad meliorem statum redigere studuit, ut pacis et caritatis vinculum non prorsus dissolveretur. Id, quomodo jure ei opprobrio esse possit, non video; nam et Lutherus non ante ab ecclesia Romano-Catholica secessit, quam ipsa eum

¹⁾ Quod paucis sed eleganter ostendit vir clarissimus S. A. Manger in Oratione *De diversis remediis ad tollenda Christianorum dissidia*, (dicta 3 Junii 1771 *Frankerae*); quam orationem nobiscum communicavit vir venerandus G. H. M. Delprat in *Nederlandsch Archief voor Kerk. geschied. Deel VII*, p. 347 seqq.

²⁾ Cum his conferantur, quae de irenicorum Cassandri consiliorum indole et pretio, scripserunt Friedrich, o. l. p. 50 seqq. et Douwes l. l. p. 244—260.

rejecerat. Licet autem Cassandro non concedendus est locus inter Protestantium ecclesiae membra, tamen majoribus eum laudibus prosequimur, quam Balduinum atque alios ejusmodi viros, quippe qui ad tempus quidem Protestantismi causam amplexi sint, nec vero ejus internam ac ethicam indolem ex aequo aestimare valerent. Non tali auxilio, nec defensoribus istis indiget ecclesia nostra! — Nec profecto ex eventu sed ex consilio ponderanda sunt Cassandri irenica studia, cujus autem consilium, num purum et integrum fuerit, nemo est qui dubitaturus sit. Ad me certe quod attinet, diligo virum pium, modestum, doctum; nec unquam me poenitebit vitae ejus describendae operam (ut spero, non prorsus inutilem) impendisse. Assentior viris illis magnis, Grotiis Calixtis aliisque, in Cassandri meritis laudandis, aut ejus sententiis denuo pervulgandis ¹⁾; nec dubito, quamvis ecclesia Romano-catholica ejus sententias damnaverit, pertinuisse eum ad coetum illum, qui neque pontificis, neque Lutheri aut Calvinii verbis, sed solo Domini spiritu dirigitur; ad ecclesiam illam vere *catholicam*, quae ubicunque terrarum et inter cujusvis externae societatis membra suos habet filios.

¹⁾ De his vid. Friedrich, o. l. p. 54.

T H E S E S.

I.

Cunctis Cassandri animi ingeniique dotibus bene perspectis, ille non tam *Erasmianus* quam *Erasmiano-Melanthonianus* theologus dicendus esse videtur.

II.

Errant historici, qui, ad nomen Georgii Cassandri explicandum, insulam *Cadzandiam* locum ejus natalem fuisse contendunt.

III.

Philosophiae Aristotelicae studium omnino vim habuit in Cassandri sententias conformandas.

IV.

Multorum opinio: per medium aevum S. Scripturae lectionem raro usitatam fuisse, de patria certe nostra non valet.

V.

Adversus allegoricae N. Foederis interpretationis fautores omnino tenendum est, sacrorum etiam scriptorum verba non nisi *unum* habere sensum.

VI.

In conferendis locis parallelis videant N. Foederis interpretes, ne cujusque auctoris cogitandi et dicendi rationem, ipsi propriam, praetermittant.

VII.

Quae leguntur de *servo Dei* (Jes. 52, 13—15. et C. 53), colectivo sensu de parte populi Israëlitiçi potiore explicanda sunt.

VIII.

Nahum. 1, 9 non Assyrios alloquitur propheta, sed Judaeos, quorum anxios et sollicitos animos consoletur.

IX.

Vox *Κύριος*, 2 Cor. 3, 16—18 adhibita, de *Christo*, non de *Deo*, intelligatur.

X.

Qui locum Paulinum Gal. 3, 13. 14 ita interpretantur, ut doctrinam de Christi passione ac morte *vicaria*, quam non tantum hominum *gratia*, sed hominum *loco* etiam subierit, illi inesse putent, sanae exegeseôs normam non sequi videntur.

XI.

De baptismo in S. Scriptura duplex invenitur expositio: altera *subjectiva* q. d., altera *objectiva*. Ab hac enim parte baptismus proponitur tanquam symbolum internae renovationis, homini obcundae, ab altera vero vis salutifera ipsi baptismo tribuitur.

XII.

Sacrum oratorem, qui pericula studeat praecavere ex hac vel illa notione philosophicâ metuenda, fidem vere Christianam auditoribus inculcare oportet.

XIII.

Quidquid jure an secus cogitamus de Christi naturâ, operibus, meritis, cet., nisi intima per fidem nos inter et Eum conjunctio existat, omnes illae notiones, ad vitam nostram religiosam promovendam ac corroborandam, nullius momenti sunt, ita ut bene dici possit: tantum nobis valere Christum, quantum nobis *insit*.

XIV.

Verba, quae leguntur Matth. 12, 40 a Jesu dicta non sunt.

XV.

Divina Praedestinatio tam arcte cum Ejus Providentiâ cohaeret, ut ab ea divelli atque altera sine alterâ cogitari nequeat.

XVI.

Bengelio, Planckio aliisque viris doctis, quae in placito de *fide* et *justificatione* Protestantes inter et Romano-Catholicos obtineat discrepantiam, vocis magis quam rei contentionem esse statuentibus, assentiri nequeo.

XVII.

Quae in opere: *Traité de la Prédestination* (Salmurii, 1634) et aliis locis, Amyraldus exposuit placita de *electione*, de *fide*, de *gratia irresistibili* deque *perseverantiâ Sanctorum*, cum Synodi Dordracenae decretis non pugnare censenda sunt.

XVIII.

Protestantes, in omnibus suis conatibus Romano-Catholicos melioribus sanioribusque imbuendi notionibus, probe teneant regulam, a *Societate Evangelica* (de *Evangelische Maatschappij ter bevordering van waarheid en godzaligheid onder de Roomsch-Katholieken*) propositam: „Het doel [dier Maatschappij] is, hun [den Roomsch-Katholieken] het Evangelie te doen kennen, en [hen] tot Evangelische gezindheid op te leiden, niet zoo zeer hen tot eenig Protestantsch Kerkgenootschap over te halen.”

CORRIGENDA.

Pag.	8	lin.	27	disquisitionis	lege:	disquisitionis.
"	25	"	2	perstita	"	practita.
"	"	not.	2	Epis. tol.	"	Epistol.
"	27	lin.	9	samores	"	saniiores.
"	29	"	1	qou	"	quo.
"	32	"	8	Romaac	"	Romae.
"	34	"	21	huberius	"	liberius.
"	"	"	22	aluid	"	aliud.
"	41	"	12	ecclesiastica	"	ecclesiastica.
"	61	"	6	ralata	"	relata.
"	62	"	7	videtur."	"	videtur.
"	70	"	20	afflectam	"	afflictam.
"	76	"	12	eriminationes	"	eriminationes.
"	78	"	8	perpetua	"	perpetua.
"	103	"	24	aequiescere	"	acquiescere.
"	111	"	11	comprobaverant	"	comprobavissent.
"	134	"	20	regenerationem	"	regenerationem.
"	143	"	43	poenitentia	"	poenitentia.
"	145	"	32	Matth.	"	Matth. 25, 40.
"	157	not.	3	laboribus	"	laboribus.

Caetera, quae insint, corrigat B. L.

A 9636

CONTENTS

Introduction	1
Chapter I	10
Chapter II	20
Chapter III	30
Chapter IV	40
Chapter V	50
Chapter VI	60
Chapter VII	70
Chapter VIII	80
Chapter IX	90
Chapter X	100
Chapter XI	110
Chapter XII	120
Chapter XIII	130
Chapter XIV	140
Chapter XV	150
Chapter XVI	160
Chapter XVII	170
Chapter XVIII	180
Chapter XIX	190
Chapter XX	200
Chapter XXI	210
Chapter XXII	220
Chapter XXIII	230
Chapter XXIV	240
Chapter XXV	250
Chapter XXVI	260
Chapter XXVII	270
Chapter XXVIII	280
Chapter XXIX	290
Chapter XXX	300